OBSERVATIONES CRITICAE

DE

COMOEDIARVM ALIQVOT ATTICARVM TEMPORIBVS.

DISSERTATIO INAVGVRALIS,

QVAM CONSCRIPSIT

ERNESTVS BRANDES,

MARCHIENSIS.

ROSTOCHII.

EXSTAT APVD HERMANNVM SCHMIDTIVM.

MDCCCLXXXVI.

REFERENT: PROF. **LEO.**

FORMIS ACADEMICIS ADLERIANIS.

FRIDERICO LEONI

P. P. O. ROSTOCH.

PRAECEPTORI BENEVOLENTISSIMO,

RICCARDO BRANDESIO

IVDICI VKERMVND.

FRATRI CARISSIMO

S.

Vdalricus de Wilamowitz-Moellendorff, vir clarissimus, in dissertationis inauguralis a. 1870 conscriptae parte secunda fastos comicos per annos 430—420 cum e didascaliis traditis componere tum ex ipsis poetarum reliquiis eruere studuit. Nuper Muhlius, quem Wilamowitzi commentationem in manibus non habuisse (cfr. pag. 31 adn. 1) valde mirum est, in programmate Augsburgiensi a. 1881 edito eandem materiam tractandam sibi sumpsit, sed ita ut sequentia quoque tempora usque ad Ol. 93, 4 peragraverit. Quem libellum tantam auctoritatem sibi conscivisse, ut a nonnullis criticis didascaliarum antiquarum et aliarum rerum fundamentum quasi adhibeatur, hoc satis mirabile mihi videtur; nam — ut quid sentiam breviter indicem — saepissime vituperandus est, saepe corrigendus, nusquam fere totus probandus. Itaque quaestionem hanc repeti opus est, praesertim quod ad annos Niciae pacem sequentes attinet, quamvis etiam in Wilamowitzi dissertatione haud pauca reperias quae aut nimis incerta sint aut aliqua correctura egeant. Neque ego quidem cum ad comoediae atticae antiquae reliquias accederem et praecipue fastos comicos per annos 420—403 quoad licet enucleandos mihi statuerem, me rem intricatam difficillimamque et molem umeris meis vix parem subiisse non intellexi atque de tabella constituenda plena quadam et absoluta iam in operis initio statim desperavi. Attamen in rem esse credo, illis de temporibus quae sciamus quae nesciamus definiri, praesertim cum Kocki nova comicorum fragmentorum editione omnium fere oculi ad „Eupolin atque

Cratinum Aristophanemque poetas atque alios, quorum comoedia prisca virorum est", rursus erecti sint. Hominum ergo doctorum opiniones tamquam per cribrum cernere mihi imprimis erat propositum; passim ipse coniecturis quantuliscumque indulsi, quarum opera rerum obscuritati lucem afferrem.

Ac primum quidem belli Archidamici annos repetam primoque loco de Eupolidis Vrbibus vel Civitatibus*) nonnulla disputabo, quae ad res externas et socios quidem pertinet; nam quin Tenos Chios Cyzicus personatae in scaenam prodierint huiusque comoediae chorus e foederatis Atheniensium civitatibus compositus fuerit, propter fragmenta 1. 2. 5 Mein. (K. 231. 232. 233) et propter Πόλεων titulum nemo dubitabit cfr. M. II, 507, K. I pag. 314. Quod ad actionis tempus id primum constat, Civitates post Ol. 91, 2 ob Stilbidis vatis commemorationem (cfr. M. II, 514, fr. 15, K. I, fr. 211), qui una cum Nicia in Siciliam profectus ibi Ol. 91, 3 mortem oppetivit (Plut. Nic. 23), in scaenam dari non potuisse. Dein aliquanto accuratius Runkelius et Raspius de Eup. Dem. et Pol. 84 hanc fabulam Ol. 89, 2 assignare voluerunt iique praecipue fragm. 11 M. (K. 209) a scholiasta Arist. Vesp. 1271 servato commoti, ubi de Amyniae legatione et ita quidem sermo est, ut Aristophanis loco ipso perlecto, perpenso atque cum Eupolideo illo comparato utrumque poetam eodem fere anno versus suos conscripsisse eluceat. Atque cur Amynias cuius rei causa legatus missus est in ea male sit versatus — sic enim cum Godofr. Hermanno versus 3 sine dubio recte explicabitur — plane intellegemus, si Aristophanem audiverimus, qui illum Pharsali cum penestis rem habuisse queritur; praeterea ἄγροικος Eup. v. 2 et αὐτὸς πενέστης ὢν ἐλάττων οὐδενός Arist. Vesp. 1274 verba invicem se optime illustrant. Sed huic uni argumento per se haud infirmo alia validissima addere licet; itaque animum advertas quaeso ad fragmentum 7 M. (K. 205) quod cum Nubium (I) versibus 586 seq. optime concinere videtur, ita ut cum

*) Cfr. Raspium de Eupol. Dem. et Pol. pag. 83 adn. 1; Fritzschium Babyl. pag. 7 adn.; vid. praeterea fragm. 1 et 2 M. (K. fr. 231 et 232).

alios tum Cleonem illis verbis ab Eupolide taxari libenter credam; cfr. etiam schol. Arist. Ran. 1513 (M. fr. 12, K. 210), qui Adimantum alium ducem commemorat. Cleo igitur, cum Eupolis Civitates agendam curavit, modo in Thraciam profectus est — res quasdam ibi gestas fragm. 32 M. (K. 226) quoque spectat — partesque eius tunc Hyperbolus (M. fr. 20, K. 238) Athenis suscepit; Theramenes (M. fr. 19, K. fr. 237 cfr. Ran. 540 c. K. adn.), qui anno 411 demum ad reipublicae gubernaculum accessit, illis temporibus ab Hagnone adoptatus esse potest. Neque silentio praeteribimus fragm. 13 M. (K. 218), ubi Simo aliquis ex Heraclea pecunias publicas furatus esse traditur; cui idem crimen ab Aristophane Nub. I, 351 obici maximi momenti est. Sed quam urbem poeta dicat, ego quidem me cum Kockio ad fragm. 218 ignorare confiteor; nam Trachiniorum Heracleam, quam anno 426 a Lacedaemoniis conditam, anno 420 a Boeotis occupatam esse Thucydides III, 92 et V, 51 narrat, mea sententia Eupolis hic in animo habere non potest, propterea quod Simo, publicarum pecuniarum raptor, urbis cuiusdam Atheniensium vel Atheniensibus subiectae magistratus fuisse debet. — Teneamus igitur Eupolidis Civitates anno 422 et Dionysiis urbanis quidem actam esse. Sed quid Wilamowitzi coniectura fiet, qui hunc annum iam Eupolidis Aurea Aetate occupavit observ. crit. pag. 53, fragm. incert. M. 20 et 21 (K. 456 et 308) cum Meinekio receptis, fragm. incert. M. 82 (K. 404; cfr. Thuc. IV, 107, V, 8) cum Fritzschio? Quae omni certo fundamento carent, nisi fragmenta Aureae Aetatis ipsa ad Ol. 89, 2 respicere demonstratum sit. Quid ergo? Equidem hac de comoedia cum Mein. I, 145 seq., Bergkio rel. com. att. 361, Fritzsch. quaest. Aristoph. 145 adn. 1, Kock. I pag. 333 tantum affirmare possum, fragm. 1 M. (K. 290) post captam Sphacteriam et ante Cleonis mortem scriptum esse. Itaque maiore cum probabilitate fragmenta illa (excepto fragm. 20, nam dubius huius versus auctor est, cfr. K. ad fr. 456) Civitatibus adscribemus, cui imprimis fr. 21 M. (K. 308):

Πρῶτος γὰρ ἡμᾶς, ὦ Κλέων,
χαίρειν προςεῖπας πολλὰ λυπῶν τὴν πόλιν

certe aptissimum est, si quidem supra de Cleonis expeditione in Thraciam modo facta recte disputavi.

Ad Platonis Querulum nunc accedamus. Hac fabula et Phrynichi Monotropo inter se comparatis, quam Dionysiis Ol. 91, 2 actam esse ex hypothesi Avium 1 constat (cfr. schol. Av. 997), utramque idem fere argumentum habuisse et hanc ob causam Perialgem quoque post Syracosii legem in scaenam productam fuisse, Cobetus obs. crit. pag. 173 seq. mihi non probavit. Sed fortasse alia via enucleare aliquid poterimus, itaque accedamus primum quidem ad fragm. 2 (M. II, 653, K. I, 630, fr. 107):

ὃς πρῶτα μὲν Κλέωνι πόλεμον ἠράμην.

Hunc versum Perialgem ipsum dixisse, ita tamen ut Dicaeopolis dicit pro Aristophane Acharn. vv. 377 seq., Kockius rectissime coniecit, qui cur antea versum illum et trimetrum et partem tetrametri esse posse ex epirrhemate petitam propter Cobetum pronuntiaverit Vesp. vv. 1275 seq. collatis, equidem omnino non intellego. Sensus fragmenti planus: poeta enim gloriatur, se primum Cleoni bellum intulisse (deinde aliis). — Transeamus nunc ad Aristophanis Vesparum parabasin, ubi et alia et haec leguntur (1029—37):

Οὐδ᾽ ὅτε πρῶτόν γ᾽ ἦρξε διδάσκειν ἀνθρώποις φησ᾽ ἐπιθέσθαι *),
ἀλλ᾽ Ἡρακλέους ὀργήν τιν᾽ ἔχων τοῖσι μεγίστοις ἐπιχειρεῖν,
θρασέως ξυστὰς εὐθὺς ἀπ᾽ ἀρχῆς αὐτῷ τῷ καρχαρόδοντι,
οὗ δεινόταται μὲν ἀπ᾽ ὀφθαλμῶν Κύννης ἀκτῖνες ἔλαμπον,
ἑκατὸν δὲ κύκλῳ κεφαλαὶ κολάκων οἰμωξομένων ἐλιχμῶντο
περὶ τὴν κεφαλήν, φωνὴν δ᾽ εἶχεν χαράδρας ὄλεθρον τετοκυίας,

---

*) 1029 versum equidem cum Cobeto et Wilamowitzio pag. 40 subditicium habere nequeo, qui ita positus est, ut meo iudicio omnino non debeat eici; neque ἀνθρώπους cum Wilamowitzio pag. 36 homines de trivio interpretor, sed hanc vocem monstro illi oppositam esse persuasum habeo, quod sequentibus versibus luculenter comicus depinxit. Itaque salse ac ridicule poeta inter reliquos homines et inter Cleonem discernit. Praeterea aspicias quaeso, quam apte οὐδέ cum prioribus coniungatur: 1024 οὐκ — οὐδέ, 1025 οὐδέ — οὐδέ; 1027 οὐδενὶ cfr. etiam Pac. 751.

φώκης δ' ὀσμήν, Λαμίας δ' ὄρχεις ἀπλύτους, πρωκτὸν δὲ καμήλου.
τοιοῦτον ἰδὼν τέρας οὔ φησιν δείσας καταδωροδοκῆσαι,
ἀλλ' ὑπὲρ ὑμῶν ἔτι καὶ νυνὶ πολεμεῖ.

Compares quaeso his cum versibus Pacis parabaseos partem istam (751—60):

(ἐπόησε τέχνην μεγάλην ἡμῖν --)
οὐκ ἰδιώτας ἀνθρωπίσκους κωμῳδῶν οὐδὲ γυναῖκας,
ἀλλ' Ἡρακλέους ὀργήν τιν' ἔχων τοῖσι μεγίστοις ἐπεχείρει
διαβὰς βυρσῶν ὀσμὰς δεινὰς κἀπειλὰς βορβοροθύμους.
καὶ πρῶτον μὲν μάχομαι πάντων αὐτῷ τῷ καρχαρόδοντι,
οὗ δεινόταται μὲν ἀπ' ὀφθαλμῶν Κύννης ἀκτῖνες ἔλαμπον,
ἑκατὸν δὲ κύκλῳ κεφαλαὶ κολάκων οἰμωξομένων ἐλιχμῶντο
περὶ τὴν κεφαλήν, φωνὴν δ' εἶχεν χαράδρας ὄλεθρον τετοκυίας,
φώκης δ' ὀσμήν, Λαμίας δ' *) ὄρχεις ἀπλύτους, πρωκτὸν δὲ καμήλου.
τοιοῦτον ἰδὼν τέρας οὐ κατέδεισ' ἀλλ' ὑπὲρ ὑμῶν πολεμίζων
ἀντεῖχον ἀεὶ καὶ τῶν ἄλλων νήσων.

Vides paulum inter se dissentire illas parabaseos partes, ita ut de interpolatione alterius nequaquam sit cogitandum; quod moneo propter Hamakerum, qui mira temeritate Vesparum vv. 1029—1042 ab Aristophane abiudicavit Mnemos. III, 241 sq. Idem Pacis versum 754 e Vesparum versu 1031 emendare voluit, ut pro καὶ πρῶτον μὲν μάχομαι illud θρασέως ξυστὰς εὐθὺς ἀπ' ἀρχῆς poneret; qua in re Meinekium nostrum asseclam sibi eum conscivisse valde mirandum est. Verumtamen μάχομαι praesens (historic.) iam per se planum multis non solum Aristophanis, sed aliorum poetarum et scriptorum locis optime defenditur, quorum haud parvum numerum facile congeres, si huic rei operam das.

Sed cur se primum quidem cum Cleone mortuo (cfr. Thuc. V, 10) manus conseruisse iterum pronuntiat poeta? Cur Vesparum parabaseos partem omnino in Pace repetit? Quaestionem hanc difficillimam, quam nemo quantum video nisi Wila-

---

*) δ' omittunt codd., sed cfr. Vesp. 1035.

mowitzius *) tractandam et diluendam hucusque sibi sumpsit, mea sententia facile dirimere poterimus, si aut Ol. 89, 2 Dionysiis aut Ol. 89, 3 Lenaeis Platonem Querulum suam in scaenam produxisse statuerimus, qua in fabula sese Cleoni adversatum esse magna voce contenderat. Hoc cum nullo modo pati posset Aristophanes, Pacis suae Liberalibus urbanis exhibendae parabasi versus illos iam in Vespis editos paulum quidem, sed ita opinor commutatos inclusit, ut verba καὶ πρῶτον μὲν μάχομαι Platonis versum istum, quem supra exhibui, spectare videantur. Ceterum quod comicus idem Pace 762—3:

καὶ γὰρ πρότερον πράξας κατὰ νοῦν οὐχὶ παλαίστρας
περινοστῶν
παῖδας ἐπείρων e. q. s.

eandem contumeliam repetit, qua iam Vesparum v. 1025 οὐδὲ παλαίστρας περικωμάζει πειρῶν aliis quidem additis et praemissis summatim breviterque adversarium quendam carpserat, ad Eupolidis Maricantem modo actam **) refero, cuius in parabasi poetam imprudenter gloriatum esse illudentem simul Aristophani calvo, Wilamowitzius obs. crit. pag. 40 propter Pac. v. 734 seq. et 767 seq. valde probabiliter suspicatus est. — Sed quo modo fragmenta cum coniectura quam periclitatus sum consentiant, ut videamus restat. Ac primum quidem fragmentum 3 M. (K. fr. 109), quod Meinekius de Atheniensium principatu et imperio intellegendum esse affirmavit, Muhlius pag. 96 ad Platonem ipsum minore cum veri similitudine rettulit, e dramatis

*) Eupolidem Auream Aetatem in Cleonem scripsisse et victoriam splendidissimam reportasse, dein Aristophanem veritum, ne prae novo et fortasse ingeniosiore carmine in oblivionem caderet Equites, sui laudationem in Pace repetisse, Wilamowitzius obs. crit. pag. 53—4 censet. At locos illos, quibus vir doctus coniecturam suam imprimis fulsit, Civitatibus multo melius attribui supra pag. 7 explicavi. Quid igitur? Eupolidis Civitates fortasse spectavit Aristophanes? Mea quidem sententia versus ille nequaquam talis est, qualis hanc suspicionem commendet, quamquam comoedia sua Eupolis Cleonem absentem acerbe taxasse videtur.

**) Hanc enim fabulam Cobetus pag. 145 ann. 1 Ol. 89, 3 destinavit, schol. Nub. 552: ὕστερον τρίτῳ ἔτει τῶν Νεφελῶν rectissime interpretans, cfr. etiam schol. Acharn. 172 et Eccles. 796, ubi ἕνῃ vocabulum ἐς τρίτην verbis scholiasta apte et vere graece declarat.

parabasi optime sumptum esse potest. Deinde fragmento 4 M. (K. fr. 108) Midias ludificatur, quem eundem Arist. Av. 1297 et Platonis Victoriis (M. II, 644 fr. 2, K. fr. 80) invenimus, cfr. Phrynichi Ephialtem (M. II, 582 fr. 4, K. I, 371 fr. 4) Poastriasque (M. II, 596 fr. 6, K. I, 381 fr. 41) et Metagenis Homerum sive Ascetas *) (M. II, 755 fr. 2, K. I, 708 fr. 11). — Postremo fragmentum 1 M. (K. fr. 106) paulo longius idque pretiosum:

ὦ θεῖε Μόρυχε, νῦν γὰρ εὐδαίμων ἔφυς,
καὶ Γλαυκέτης ἡ ψῆττα καὶ Λεωγόρας,
οἳ ζῆτε τερπνῶς οὐδὲν ἐνθυμούμενοι

quod H. Iacobium, Meinekium, Bergkium, Hanovium valde cruciasse video, pluribus tractare verbis necesse est; quod si recte percepi et interpretabor, de Perialge Platonica suspicionis meae adiumentum erit quam firmissimum tempusque actionis ipsum aliquanto accuratius definiet. Leogoram, qui versu secundo tertius reperitur, Andocidae oratoris patrem, Hermocopidarum causa accusatum, sed bis liberatum, vappam fuisse e schol. Nub. 109, Vesp. 1269 comperimus, voluptatibus libidinosis valde deditum (cfr. Eupol. Autol. II ap. M. II, 444 fr. 11, K. I, fr. 44). Glaucetas secundo loco exhibitus et Aristoph. Thesmoph. 1033 commemoratur et Pace 1008, ubi simul cum Morycho propter gulam fastidiosam irridet eum poeta, de pacis suavitate ac dulcedine haec verba faciens (999—1008):

καὶ τὴν ἀγορὰν ἡμῖν ἀγαθῶν
ἐμπλησθῆναι (scil. ποίησον ὦ Εἰρήνη) μεγάλων σκορόδων,
σικύων πρῴων, μήλων, ῥοιῶν,
δουλοίσι χλανισκιδίων μικρῶν·
κἀκ Βοιωτῶν γε φέροντας ἰδεῖν
χῆνας, νήττας, φάττας, τροχίλους·

*) Bergki opinionem, qui comm. de rel. com. att. ant. pag. 424 Lyconis proditionem (M. II, 755, 1; K. I, 707, 10) ad Diod. Sicul. XIV, 34 cfr. Pausan. X, 38, 10 refert, ubi Lacedaemonios post Athenas captas, pace ut videtur composita (καταλελυκότες τοὺς πολέμους καὶ σχολὴν ἔχοντες) Naupactum expugnasse traditum est, imprimis propter eundem Midiam derisum probare nequeo, quem post Aristoph. Aves nusquam invenies. Praeterea omnino verisimile mihi non videtur, Athenienses his temporibus praesidium quoddam Naupacti habuisse.

καὶ Κωπᾴδων ἐλθεῖν σπυρίδας,
καὶ περὶ ταύτας ἡμᾶς ἀθρόους
ὀψωνοῦντας τυρβάζεσθαι
Μορύχῳ, Τελέᾳ, Γλαυκέτῃ, ἄλλοις
τένθαις πολλοῖς. —

Cum quibus versibus ut Aristoph. Acharn. vv. 885—7 conferantur peto:

ὦ φιλτάτη σὺ καὶ πάλαι ποθουμένη (sc. ἔγχελυ Κωπαΐς)
ἦλθες ποθεινὴ μὲν τρυγῳδικοῖς χοροῖς,
φίλη δὲ Μορύχῳ —

quem γενναῖον βίον ζῆν Vesp. 506 cfr. schol. comicus affirmat (vid. etiam schol. Acharn. 61 et Vesp. 1142). Igitur Morychus Glaucetas Leogoras heluones fuerunt, qui ventri oboedientes vitam desidiosam ignavamque degere solebant. — Hucusque omnia cum Platonis versibus optime congruunt. Sed quam ob causam nunc felices factos esse eos Plato pronuntiaverit, quaestio oritur; nam νῦν γὰρ εὐδαίμων ἔφυς verba sicut sequentia οἳ ζῆτε τερπνῶς οὐδὲν ἐνθυμούμενοι ad tres omnes simul spectare in propatulo est. Evolvas quaeso Thucydidem, qui Olymp. 89, 1 fine (a. 423) ἅμα ἦρι τοῦ ἐπιγιγνομένου θέρους Lacedaemonios et Athenienses unius anni indutias fecisse IV, 117—119 cfr. V, 1 tradit. Sumamus anno 423 Platonem fabulam suam scripsisse Dionysiisque sequentibus in scaenam exhibuisse, tum fragmentum illud quid sibi velit et quomodo sit intellegendum plane perspicitur, praesertim cum ad Pacis Acharnensiumque locos quos supra exscripsi oculos animumque attendas. Ergo indutiae illae tres istos vappas beatos reddiderunt, quoniam Atheniensium forum magnis multisque bonis ficis malis, anseribus anatibus anguillis Copaicis aliis rebus confestim impletum est. — Sed quid? nonne Ol. 89, 2 Dionysiae iam a Platonis Laconibus occupatae sunt Cobeto auctore, qui pag. 87 seq. Wilamowitzio probante Arist. Pac. v. 700—1 ad hanc fabulam irrisam rettulit? At Luebkius obs. crit. pag. 29 auditores vel sagacissimos iocum hunc intellegere non potuisse, ergo commentum illud ingeniosum quidem sed nimis artificiosum refellendum esse, rectissime contendit. Cui totus accedo. Itaque conicere me opus non est,

Platonem illis feriis duas fabulas docendas curasse, alteram suo ipsius nomine, alteram alius cuiusdam, sicut Aristophanem eiusdem anni Lenaeis fecisse scimus.

Pherecratis Fugitivos Meinekius h. cr. pag. 81 (cfr. Kockium pag. 150) Ol. 90, 4 assignavit propter fragmentum 3 (II, 263, K. I, 151 fr. 19) Thucydidis V, 43—47 et V, 76—77 collatis, ubi primum quidem anno 420 Argivos cum Atheniensibus foedus iniisse, postea vero ad Lacedaemoniorum causam se adiunxisse rerum scriptor memoriae tradit. Quae Meineki opinio si recte se habet, comoediam hanc post Ol. 90, 3 (417) agi nequivisse elucet, propterea quod iam huius anni aestate Argivos rursus ad Atheniensium partes accessisse constat e Thuc. V, 82, quorum in socios ut comicus talia dicturus fuisset fieri vix potuit. Sed ego quidem Meineki coniecturam aliquam veri speciem habere omnino ob ἐμποδὼν καθήμενοι verba vehementer nego, quae quo spectent ille vel alius quilibet nunquam explicabit. Immo Muhlio assentior, qui pag. 84 Fugitivos Aristophaneae Pacis temporibus exhibitam esse contendit. Attamen causis idoneis sententiam suam non fulsit, qua de re totam hanc quaestionem quasi novam rursus repeti ut ad liquidum perducatur opus est.

Ἐπαμφοτερίζουσ᾽ ἐμποδὼν καθήμενοι versus, e quo huius dissertatiunculae initium capere debemus, facillime declaratur, si ad scaenam illam Aristophanis Pacis praeclaram et notam animum advertimus, ubi chorus Mercurio adiuvante Pacem deam εἰς ἄντρον βαθύ iniectam funibus protrahere studet. Sed cum opus non bene procedat, et Trygaeus in Lamachum invehitur his verbis:

473 ὦ Λάμαχ᾽, ἀδικεῖς ἐμποδὼν καθήμενος.
οὐδὲν δεόμεθ᾽, ὤνθρωπε, τῆς σῆς μορμόνος — —

et Mercurius Argivos vituperat hisce:

οὐδ᾽ οἵδε γ᾽ εἷλκον οὐδὲν Ἀργεῖοι πάλαι
ἀλλ᾽ ἢ κατεγέλων τῶν ταλαιπορουμένων
477 καὶ ταῦτα διχόθεν μισθοφοροῦντες ἄλφιτα.

Argivi igitur cum ab Atheniensibus tum a Lacedaemoniis pecuniam ac mercedem accipientes quominus pax fiat im-

pediunt; vel quod hic idem fere valet: Argivi ad pacem non propensi modo huc modo illuc inclinant. Nam primum quidem ἐπαμφοτερίζειν vocabulo lucem quandam affert Pacis v. 477 cfr. etiam Thuc. II, 9: τούτοις (scil. Argivis et Achaeis) δ' ἐς ἀμφοτέρους φιλία ἦν; quam ob inconstantiam eos saepe ludificatos esse scholiasta Pac. 476 nobis affirmat (διὸ καὶ πολλὰ ἐκωμῳδοῦντο). Deinde οὐχ ἕλκειν illud et ἐμποδὼν καθῆσθαι utrumque ad Argivos pacis omnino non appetentes referendum est. Atque cur belli finem fieri Argivi noluerint, quamquam omnes — quantum video — rerum scriptores hac de re tacent, facile intellegetur, si Argivos cum Lacedaemoniis triginta annorum foederi illis temporibus (scil. a. 422) renovando obviam ivisse, nisi Cynosuria concessa, apud Thucydidem V, 14, 4 cfr. 22, 2 legerimus, vid. etiam Muhl. l. l.: propter illam aliquo modo paci quoque componendae eos infeste adversatos esse veri simillimum mihi videtur. — Igitur haec fabula post Ol. 89, 3 (421) Lenaea certe non est acta, quod non solum ex Arist. Pace, sed e Pherecrateae Fugitivorum loco elucet, fortasse his ludis ipsis, si quidem Argivorum pacis contemptus praecipue inter postremam pacis actionem vel actiones (cfr. Thuc. V, 17) apparuit *). Dramatis huius titulum non una tantum, sed tribus coniecturis Muhlius pag. 89—90 explicare studuit; quarum prima ad fragmentum quoddam (M. II, 261, 1; K. I, 151, 23) respicit parabaseos olim partem, altera iam per se ineptissima est; idem fere valet in tertiam. Mea sententia Aristoph. Pac. v. 451 al. loc. nobis tituli declarandi ansam ut ita dicam aliquam dat, ubi scholiastae interpretationem valde miror, qui

*) Aptissime Dobraeus Advers. II, 609 fr. 12 M. (K. fr. 21) ad Athenienses rettulit cfr. Aristoph. Pac. 503. Ceteroqui non ingratum et nimis extra rem esse puto, de Aristophanis Pacis loco illo toto nonnulla verba addere. Apud Aristophanem Lamachus (v. 473) Argivi (475 seq.) Megarenses (481 et 500) Athenienses (503) pacis non admodum sunt studiosi, cum Thucydides V, 17 Boeotos Corinthios (cfr. 25) Eleos Megarenses pace composita non contentos fuisse (τούτοις οὐκ ἤρεσκε τὰ πρασσόμενα) narret: quos iam antea molestias quasdam praebuisse, Megarensium commemoratio utroque loco exstans veri simile mihi reddere videtur. Suppleas igitur e rerum scriptore comicum, e comico rerum scriptorem.

et hunc locum et antecedentem versum fortasse Alcibiadem spectare contendit. Vertendum est: „si qui dux ut eligatur cupit, non simul nobiscum Paci eruendae enixe operam dat, aut servus fugere paratus, rota distrahatur“. Sensus planus, qui nulla commentatione egeat. Ceterum comoediae parabasi Pherecrates et hominum impietatem (M. fr. 1; K. fr. 23) et musicae depravationem (M. fr. 2; K. 24) castigavit.

Athenaeus VI, 267 e—270 a in docta sua de aurea aetate disputatione, quae fortasse ad Didymum recedit, e compluribus comicis antiquis laudavit locos, quos ad didascaliarum quarundam fidem ordinatos esse ipse luculenter indicat 268 e, ita ut primum quidem Cratini Pluti deinde Cratetis Bestiae, Teleclidis Amphictyones, Pherecratis Metallenses et Persae, denique Aristophanis Tagenistae actae sint. Videamus nunc, num inter illorum dramatum numerum ullum certius definire possimus. Atque primum quidem Pherecratis Metallenses ante Aristophanis Ranas acta esse videtur, si quidem fragmenti 1 versus 29 (M. II, 300; K. I pag. 175) Aristophanes imitatur Ranis 516. Saepius enim ille a Pherecrate sua mutuatus est cfr. Arist. Pac. 749 cum Pherecrat. Crapatallis M. II, 289 fr. 8 (K. I, 171 fr. 94), e quibus elucet, Crapatallos ante Pacem in scaenam datam esse — praeterea Persarum fr. 1 M. II, 315—6 (K. fr. 130) cum Arist. Plut. vv. 804—814 et Aristoph. Danaid. B. ap. M. II, 1052 fr. 12 (K. I, 456 fr. 253) cum fragmento incerto quodam a Meinekio sine idonea causa Crapatallis adscripto II, 290 (K. I, 200 fr. 185); denique inspicias fr. 1 inc. M. II, 341 (K. I, 199 fr. 179). Si haec recte disputavi, concidit Meineki sententia, qui II pag. 303 Pherecratem Aristophanis vestigia pressisse pronuntiat. Attamen de Metallensibus quaestio est difficilis, cum Athenaeus ipse de eius dramatis auctore dubitet, ὁ πεποιηκὼς τοὺς εἰς αὐτὸν (Φερεκράτην scil.) ἀναφερομένους scribens, Eratosthenes vero illam fabulam Nicomacho tribuit Harpocr. 243 cfr. Phot. εὐθὺ Λυκείου. Atque Meinekius quidem de Metallensium διασκευῇ quadam, quam Nicomachus e comoedia Pherecratea olim sibi fecisset, cogitavit II, 308 aliquanto audacius. Melius sumatur, Pherecratem

Nicomacho comoedias aliquas (cfr. Chironem) dedisse sicut Aristophanes Philonidi et Callistrato; quae res dubitationes de auctore proprio gignere poterat, vid. Aristoph. Proagonem in Vesparum didascalia. — Ceterum quod ad Teleclidis Amphictyones addere nos oportet, Wilamowitzium pag. 26 non satis firma documenta exstare recte opinor affirmasse, e quibus hunc poetam ante 430 et post 420 chorum accepisse appareat; quamquam idem de Teleclidis Hesiodis disputationem suam mihi certe non probavit. Apte tamen Amphictyones Hesiodosque *) illis finibus circumscribi debere pag. 26 contendit. Cratini autem Pluti et Cratetis **) Bestiae ante Ol. 87 mihi actae esse videntur. — De Aristophanis Tagenistis nonnulla constant, quamvis incertissima sit Welkeri coniectura, qui opuscul. I, 508 fr. 1 B. ap. M. II, 1147 (K. I, fr. 488) ad Prodicum rettulit, quem fragm. 3 in transcursu commemorat poeta. Idem valet in Kockium, qui I, 516 Eupol. fragm. 351 (M. II, 547) collato hanc fabulam adversus Alcibiadem eiusque socios scriptam esse vult. De Sueverni opinione (vid. de Aristoph. Avibus pag. 42, cfr. etiam Muhl. pag. 44) omnino taceam, quippe quam Bergkius iusto audaciorem optimo iure appellatam II, 1147 refellerit. Itaque de fabulae argumento atque ingenio nihil aliud statuere possumus, nisi adulescentem quendam divitem sophistae alicuius disciplina usum in ridiculum deflecti, cuius socii Tagenistae illi fuisse videntur. Comoediam ipsam Ol. 93, 3 dare voluit Bergkius, sed meo iudicio eam aliquanto prius actam esse sumemus, quoniam Prodicus ab Aristophane Nub. 361

---

*) Addi hic fortasse poterat propter Gnesippi ludificationem, quem et Nothippum mordaci ioco nominatum esse pag. 28 speciosissime coniecit idem vir ingeniosus, Steriles fabula M. II, 370 (K. 1, 217), quamvis hac de re dubitare liceat.

**) Utrum Crates, qui Ol. 82, 4 primam fabulam produxisse videtur (cfr. Euseb. ad hanc Olympiadem), usque ad Ol. 90 vitam protraxerit necne, in dubio relinquo; id tantum pro certo affirmaverim, ex Arist. Eq. 537 seq. eum iam Ol. 88, 4 de vita decessisse nos non enucleaturos esse, si sobrie et non praeoccupato iudicio hunc locum pensitaverimus atque cum vv. 526 seq. contulerimus, ubi de Cratino sermo est anno 423 demum morte defuncto; hoc propter Meinekium I, 59 cfr. 87 moneo.

tantum et Av. 692 deluditur. Non posterioribus igitur, sed prioribus dramatis Tagenistas rectius assignabis, fortasse Olympiadi 90. — Sequitur, ut omnes de quibus verba facit Athenaeus fabulae ante Euclidis annum productae sint — Metagenis Thuriopersis et Nicophontis Sirenibus exceptis, quae dramata ἀδίδακτα fuisse ipse 270 a indicat.

Platonis Victorias Ol. 89, 4 aut 90, 1 in scaenam exhibitam esse, propter titulum, qui pacem modo compositam (cfr. Thuc. V, 17—20) spectat opinor, cuius condiciones Atheniensibus magis quam Lacedaemoniis favisse constat, et propter fragm. 3 M. II, 644 (K. I, 623 fr. 81) in propatulo est vid. Wilamow. pag. 55 Cobet. obs. crit. 82—87, ita ut Meineki I, 175 opinionem verbo tangere opus non sit. Fabulae argumentum e titulo (cfr. Victoriarum chorum apud templum Victoriae in arce) et e fragmento supra citato aliquo modo perspicitur, si quidem Platonem Aristophanis Pacem superaturum fuisse credere debemus, quod propter simultates inter hos duos poetas iam prius exortas certe fieri poterat (cfr. Cobetum pag. 133 al. loc., Luebki dissertationis part. secund. pag. 24 seq. praecipue pag. 51 seq. et meam supra de Perialge disputationem).

Eiusdem poetae Feriarum fabulae actionem ob Diitrephem fragm. 6 M. II, 626 (K. fr. 31) commemoratum aliquatenus definire possumus, qui primum quidem a Cratino Chironibus (M. II, 152, 8; K. I, 83 fr. 233) certe ante Periclis mortem acta deridetur, deinde ab Aristophane Avibus 798 et 1442 Heroibus M. II, 1071 fr. 4 (K. I, 471 fr. 307) — eundem invenimus apud Thucyd. VII, 29—30 et VIII, 64 opinor —, ita ut Diitrephem illum ab Olymp. 87 usque ad Olymp. 92 comicis poetis cavillandi copiam dedisse statuere possimus. Et Avium v. 1442 quidem Diitrephes μειράκιον appellatur, quam ob rem si Chirones paulo ante Ol. 87, 4 (429) exhibitam esse putamus, veritati quam proxime nos accessuros esse credo. Sed praeterea aliud quoddam eruere nobis licet, cum primum quidem Diitrephes propter originem externam, postea ob divitias nuper paratas in ridiculum versus esse videatur. Itaque fortasse Platonis fabula non multo post Cratini Chirones ante Ol. 90 in

scaenam data est, Heroes*) vero c. 414 (Ol. 91, 2) cfr. schol. Av. 798. Muhli sententia pag. 99 (cfr. pag. 54, Bergk. ap. M. II, 1069, Mueller.-Strubing. Aristoph. u. d. histor. Kritik pag. 631) abicienda est; nam de Diitrephis morte e Pausania I, 23, 2—4 nihil contra Thucydidis narrationem VII, 29—30 colliges, si utrumque locum inspexeris et accurate perpensitaveris. Atque Thucydides narrat, Demosthene navibus in Siciliam profecto Thracum copias auxiliarias venisse, quas reducere Diitrephem statim iussisse Athenienses, ita quidem, ut si fieri posset, hostibus in itinere noceret; in Mycalessum igitur invasisse illum, ubi Thraces saevo et crudeli barbarorum more non modo viros, sed senes etiam mulieres pueros omnia tandem, quae spiritum habuissent, trucidasse (cap. 29). Sed Thebanos his de rebus certiores factos agmine citato advenisse Thracumque partem in urbe ipsa, alios apud naves occidisse (cap. 30). Vsque ad capitis 29 finem Pausanias bene consentit cum Thucydide; sequentibus autem verbis μαρτυρεῖ δέ μοι — οἱ λειφθέντες § 3 omnes Mycalessos Thracum crudelitate interiisse affirmat: omnia enim — sic concludit — Boeotorum oppida, quae Thebani evertissent, sua aetate esse habitata, cum nonnulli e clade profugissent**): itaque nisi omnes Mycalessos barbari necassent, futurum fuisse, ut postea urbem restituerent servati. En habes meram Pausaniae con-

*) Quid de Muhlio dicam, qui pag. 53 fr. 5 (K. 298) ad Diitrephis originem externam vid. Plat. Feriis — addere poterat Cratini Chirones cfr. supra —, fragm. 9 (K. 302) ad divitias eius celeriter paratas pertinere posse existimat, equidem nescio vel potius celaturus sum. Talia saepissime apud illum inveniuntur.

**) Miror quod διαφυγόντων ἐπὶ τὴν ἅλωσιν τῶν ἀνθρώπων verba viros doctos hucusque vexaverunt, quorum Kuhnius παρὰ τὴν ἅλ. Facius μετὰ τ. ἅλ. scribere voluit; multo melius opinor ἐπὶ τῇ ἁλώσει editur, nisi forte cum Schubartio ex aliis codicibus ὑπὸ τὴν ἅλωσιν sumendum est. Attamen etiamsi haec in verborum conexum recipiamus, enuntiatio claudicare, sententia claudicare pergit. Caveas enim, ne cum Amasaeo (cfr. etiam Facium) totum locum et sicut traditur quidem vertas: „Boeotiorum oppida ab iis iam restituta sunt, qui ex clade profugerant". Articulus τῶν tum potius abesse deberet; quem equidem leniter in τινῶν (cfr. μὴ πᾶσιν et οἱ λειφθέντες) corrigere malo, ita ut olim διαφυγόντων ἐπὶ τῇ ἁλώσει (vel ὑπὸ τὴν ἅλωσιν) τινῶν ἀνθρώπων exstiterit.

iecturam, propterea ni fallor factam quod eius temporibus Mycalessus non incolebatur: et falsam quidem, quoniam aliquantum Mycalessorum tantum mortem oppetivisse (τῶν δὲ Μυκαλησσίων μέρος τι ἀπαναλώθη) diserte tradit Thucydides cap. 30, 3. Hinc alteram quoque rem diiudicare possumus; mors enim Diitrephis, qui apud Mycalessum vita defunctus esse dicitur, nihil est nisi futilissima Pausaniae suspicio omni fundamento carens. Atque in sequentibus illi ipsi mirum videtur, eius simulacrum sagittis percussum exstitisse, cum Graeci Cretensibus exceptis acubus non uterentur. — De Feriarum argumento et Meinekius I, 170 et Bergkius comm. 132 coniecturas protulerunt, quas nimis incertas esse Kockius I, 607 recte iudicat.

E u p o l i d e m in P r o s p a l t i i s pagum illum atticum, litium cupidissimum, (vel hoc sub nomine fortasse Athenienses ipsos?) cavillari, e Suida s. v. δρυαχαρνεῦ cfr. Etym. M. pag. 288 Meinekius h. cr. pag. 141—2 recte statuit, vid. etiam K. I, 323. Quod ad tempus pertinet, quo acta sit haec fabula, Meinekius eodem loco errore decipi se passus est, cum ante Ol. 89, 1 Prospaltios in scaenam productam esse ex Arist. Nub. 523 (immo 541 seq.) coniceret. Nam non primam Nubes, sed alteram ad tempora nostra pervenisse, ex ipsa fabula constat, cfr. 523 ἀναγεῦσαι et praecipue Eupolidis Maricantis commemorationem v. 553 Ol. 89, 3 certe actae (vid. etiam hypoth. VI). Nosmet quidem hunc locum, qui antequam Hyperbolus in exilium eiceretur sine dubio scriptus est, cfr. etiam v. 623 seq. — fuit autem ostracismus ille anno 418 vel 417, cfr. Cobetum obs. crit. pag. 144, Muellerum Strubing. Aristoph. etc. 410 seq. et Gilbertum Beiträge zur innern Geschichte Athens pag. 231 seq. — Olympiadis 90 anno secundo vel tertii initio tribuere possumus. Itaque Prospaltios, quam Nubibus 541 scholiasta teste Aristophanes et ita quidem deridet, ut brevi ante in scaenam prodiisse ea fabula videatur, Ol. 90, 1 agi potuisse mihi non invitus opinor concedes, praesertim cum et antecedentes anni Maricante Autolyco I comoediis iam occupati sint, subsequens ab alia mox occupetur. — Quod Bergkius

comm. pag. 357 propter fragm. 4 M. (K. 245) Euthyphronem Prospaltium hac in fabula Eupolidea taxatum esse contendit, et per se inanis coniectura est et idcirco nullo modo probare possum, quia si recte haec vir doctus disputavisset, sequeretur Prospaltios c. Ol. 95 (cfr. M. I, 142) actam esse; quod omnino non fieri potuisse, aut iam persuasum habes aut postea tibi persuadebis. Kockium, qui ob Aspasiae commemorationem Prospaltios non multo post Periclis mortem in scaenam datam esse ad fragm. 249 adnotavit, pluribus verbis refellere taedet. Quid? nonne putas Eupolidem Aspasiam, etiamsi Athenis non amplius moraretur aut morte iam decessisset, Helenae cognomine ignominioso *) vituperare potuisse, qui et Cimonem iamdudum mortuum vehementissimis calumniis vexaverit? Cfr. Plut. Cim. 15, schol. Aristidis pag. 515 ed. Dindorf. M. II, 512 fr. 10 (K. I, 315 fr. 208), vid. insuper infra pag. 22 adn.

Redeamus nunc ad Nubium parabasim, ubi Aristophanes, postquam se Equitibus edita in Cleonis ventrem semel insiluisse, tum autem adversario prostrato pepercisse affirmavit, de Hyperbolo eiusque inimicis comicis (cfr. Plutarch. Alcib. 13 pag. 196 fin.) verba facit vv. 551 seq.:

Οὗτοι δ' ὡς ἅπαξ παρέδωκεν λαβὴν Ὑπέρβολος,
τοῦτον δειλαῖον κολετρῶσ' ἀεὶ καὶ τὴν μητέρα.
Εὔπολις μὲν τὸν Μαρικᾶν πρώτιστος παρείλκυσεν
554 ἐκστρέψας τοὺς ἡμετέρους Ἱππέας κακὸς κακῶς,
προσθεὶς αὐτῷ γραῦν μεθύσην τοῦ κόρδακος εἵνεχ', ἣν
Φρύνιχος πάλαι πεπόηχ', ἣν τὸ κῆτος ἤσθιεν.
εἶθ' Ἕρμιππος αὖθις ἐποίησεν εἰς Ὑπέρβολον.
ἄλλοι τ' ἤδη πάντες ἐρείδουσιν εἰς Ὑπέρβολον
τὰς εἰκοὺς τῶν ἐγχέλεων τὰς ἐμὰς μιμούμενοι.

Non fugere poterat Cobeti ingenium (cfr. obs. crit. 144, 145 seq.), quanti momenti hic locus sit ad comoedia atticae antiquae partem aliquam restituendam. Sed quod Hermippi

*) Cfr. praeterea Eupol. Amic. M. II, 735 fr. 11 (K. I, 332 fr. 274) aperte corruptum, vid. Crat. Chiron. fr. 4, quamquam id constare videtur, Eupolidem in hac quoque fabula, quam a. 424 actam esse Wilamowitzius probabiliter demonstravit, Aspasiae nomen infame aliquod dedisse.

Artopolides anno Maricantem insequenti i. e. Ol. 89, 4 dubitanter tantum assignavit, equidem non laudo: nam meo iudicio haec fabula tam certe anno 420 acta est, quam reliquae Ol. 90, 1 aut 2. Itaque primum quidem Platonis Hyperbolus illis finibus circumscribatur, cfr. praeter Cobetum pag. 146 Muhlium quoque 97–8; Meineki opinionem, qui I, 195 poetam Ol. 91, 2 Hyperbolum suam in scaena exhibuisse censet, verbo tangi satis est, refelli non oportet. — Deinde accedamus ad Pherecratis Servimagistri fragmentum 6 (M. II, 271. K I, 158 fr. 47) hocce:

Κἀναψηφίσασθ' ἀποδοῦναι πάλιν τὰ χρυσία,

quod in parabasi locum suum habuit; est enim versus Eupolideus, quem sic fere interpretaberis: „Et iubete eum sive eos reddere pocula aurea" — perverse Bothius com. gr. fragm. pag. 91 ἀναψηφίσασθε. Aor. Med., passive sumit et vertit. Illud ad fragmentum Meinekius Crat. Thrac. fr. 3 (M. II, 63, K. I, 35 fr. 73) item in parabasi exhibitum laudavit, ubi sine ulla causa Bergkius ἔπαυσα. cod. Iungermanni ἔπαυσαν pro ἔπαυσεν ediderunt (errat hic Kockius), itaque haud multo ante (contende inter se fragmenta duo) Ol. 84, si quidem viri eiusdem docti de illius comoediae actione suspicio recte se habet, drama Pherecrateum in scaenam productum esse concluserit quispiam (vid. K. pag. 36 ad fragm. 73). Attamen aptius quam Meinekius mea quidem sententia laudavit Muhlius pag. 88 Leuconis Phrater. fr. 1 M. II, 749 (K. I, 704):

Ἀτὰρ ὦ Μεγάκλεες οἶσθά που *), Παάπιδος
Ὑπέρβολος τἀκπώματα κατεδήδοκεν —

nam Pherecratis et Leuconis fragmenta illa ambo artissime inter se cohaerere et eandem rem publice actam spectare videntur. Atque multum lucrabimur, si hoc bonum inventum tenebimus; nam cum Leuconis Phrateres **) Ol. 89, 3 (a. 421) simul cum

---

*) Sic Fritzschius pro ὑσθάτου corruptissimo; minus eleganter Meinekius οἶσθ' ἅ; ceterum memoria dignum, Paapidis pocula sub finem saeculi intacta stetisse in Parthenonis Hecatompedo, cfr. C. I. A. II, 2, 650 — χρυσὶς, ἣν Παᾶπις [ἀνέθηκε —], ubi cfr. Koehler.

**) Leuconem illam fabulam contra Hyperboli potissimum dominationem scripsisse, cui Phratorum titulum indidisset, quoniam ille non fuisset relatus

Aristoph. Pace acta sit, dein anno sequenti Pherecratem Feros in scaenam produxisse sciamus, Servimagister magna cum probabilitate Ol. 90, 1—2 adscribetur. Ad eadem tempora adducimur, si quoniam Pherecrates parabasi Hyperbolum ludificavit (subaudi ergo fragmento illo nunc αὐτόν) Servimagistrum inter eas comoedias fuisse existimemus, quas Arist. Nub. 558 in animo habuit. Tamen sub δουλοδιδασκάλῳ Hyperboli personam ipsam delitescere, hoc pro certo affirmare nemo audebit, propterea quod de fabulae huius argumento nihil constat. Nam Bergki disputationem comm. 298, qui Athenaei obscurum locum VI, 262—6 suo arbitrio interpretatur, vix quisquam probabit. Neque e fragmentis ipsis quicquam erues, quorum primo de servorum praeceptione quadam meo iudicio sermo non est. —

Pericle mortuo, cum Lysicles Cleones Hyperboli Cleophontes alii ad reipublicae gubernaculum accessissent, Eupolis Solonis *) Miltiadis Aristidis Periclis scilicet optimorum Atheniensium manibus ab inferis excitatis in Pagis fabula „id egisse videtur, ut cives suos ad meliorem tandem aliquando reipublicae regendae rationem exhortaretur" vid. Rasp. de Eupol. Dem. et Pol. pag. 8 cfr. M. h. cr. 126 seq., K. I, 279. Quantum ad actionis tempus pertinet, Raspius pag. 11 falsis argumentis nitens hanc comoediam Callia archonte scil. ἐπὶ Καλλίου τοῦ μετὰ Κλεόκριτον i. e. Olymp. 92, 1 (a. 411) in scaenam datam esse contendit. Similes in errores Meinekius h. cr. 129 lapsus est, quos tamen II, 455 bene correxit, postquam partes easque haud exiguas Niciae in

in Phratores (barbara enim origine eum vulgo perhiberi), iusto audacius Bergkius comm. 106 suspicatus est; quam coniecturam vel Hermippus apud Aristophanem secundo loco commemoratus funditus evertit.

*) Valkenaerium recte illum schol. Aristid. locum (cfr. Dindorf. III pag. 672), ubi Γέλωνα legitur, emendasse et Elmsleium ingenium suum fefellisse, qui ad Eurip. Med. 389 Κίμωνα scribendum esse coniecit, ex Aristide ipso (vid. orat. pro quattuor viris II, p. 300 Dind.; cfr. M. I, 126) plane intellegitur. Atque etiamsi haec non constarent, tamen de Cimone omnino non cogitandum esset, quem Eupolidem acerbissimo odio persecutum esse apud Plut. Cim. 15 et ap. Arist. schol. pag. 515 (M. II, 512 et I, 109) legimus, ita ut fieri non potuerit, ut poeta illi locum tam praeclarum tamque honestum hac in fabula destinaret. Muhli adnotationem 3 pag. 24 valde miror.

Pagis esse agnovit. Itaque cum Nicia absente, qui expeditionis Siciliensis dux creatus Ol. 91, 1 (a. 415) Athenas reliquit et postea Ol. 91, 4 mense Boëdromione (cfr. Thuc. VII, 86) vita defunctus est, hoc drama produci non potuerit, Pagos ante Ol. 91, 1 actam esse elucet vid. K. I, 279: quam Wilamowitzius annis 419—6 rectissime assignavit, Gilbertus anno 419 ipsi dare voluit Beiträge etc. pag. 222 seq. Sed videamus quid in eius coniecturam decernendum sit. Atque primum quidem hic vir doctus maxime a vero aberravit, cum Alcibiadem bis ducem creatum esse annis 420/19 et 419/18 e Thucyd. V, 52—55 pag. 222 et 227 eruere sibi visus est. Nam illis in capitibus aperte res enumerantur una aetate gestae: vid. cap. 52 § 1 τοῦ δ' ἐπιγιγνομένου θέρους, § 2 τοῦ αὐτοῦ θέρους; cap. 53 τοῦ δ' αὐτοῦ θέρους; cap. 54 ἐξεστράτευσαν δὲ καὶ οἱ Λακεδαιμόνιοι κατὰ τοὺς αὐτοὺς χρόνους; cap. 55 § 1 καὶ καθ' ὃν χρόνον, § 4 καὶ τὸ θέρος οὕτω διῆλθεν; cfr. cap. 56 τοῦ δ' ἐπιγιγνομένου χειμῶνος. Itaque de uno eodemque Alcibiadis imperio capit. 52 et 55 sermo est. Deinde Gilbertus propter fragmenti pretiosissimi (M. II, 464, 13: K. I, 283, 100):

Καὶ μηκέτ', ὦναξ Μιλτιάδη καὶ Περίκλεες,
ἐάσατ' ἄρχειν μειράκια κινούμενα,
ἐν τοῖς σφυροῖς ἕλκοντα τὴν στρατηγίαν —

interpretationem iustas in reprehensiones incurrit, quod vertat: „König Miltiades und Perikles, gestattet nicht, dass bewegliche Jünglinge vermittelst der Schnelligkeit ihrer Fersen die Strategie davontragen“, ἐν τοῖς σφυροῖς et ἕλκοντα verborum vi aperte non intellecta. Attamen vir doctus a Meinekio quid sibi velint ἐν τοῖς σφυροῖς etc. illa doceri poterat, qui quattuor exempla laudavit aptissima, unum a Valkenaerio, reliqua a se ipso inventa, e quibus ἐν τοῖς σφυροῖς phraseos significatio statim apparet. Similiter dictum mihi videtur: καίτοι φορεῖτε γλῶσσαν ἐν ὑποδήμασιν ap. Platon. Iove male habito M. II, 632 fr. 4 (K. I, 614 fr. 51), quamquam verba ipsa ego quidem propter verborum conexum interruptum interpretari nequeo. Sed utcumque se habet res, fragmenti illius alteram partem nunc interpretaberis de adolescentibus quibusdam, qui in talis strategiam trahant.

Quae verba ad Alcibiadem *) eiusque socios iam Suevernius de Arist. Nub. 51 rettulit, cuius libri inspiciendi mihi copiam non fuisse maxime doleo. — Evolvas quaeso Thucydidem, ubi V, 43—47 seq. haec fere traduntur: Alcibiadem Cliniae filium alios, quibus pax inter Athenienses et Lacedaemonios facta taedio odioque erat, inimicitias inter Graecorum civitates iterum exortas in rem suam vertere studuisse. Imprimis Alcibiadem populo persuadendo enixe operam dedisse, ut foedus cum Argivis iceret: quod post contiones quam turbulentissimas pactum esse, cum Nicias legatus Spartam missus frustratus rediisset. Dein ipsum ducem creatum insequentis anni (i. e. Ol. 90, 2 – 419 cfr. Thuc. 52 τοῦ ἐπιγιγνομένου θέρους) initio exercitum haud magnum quidem in Peloponnesum duxisse, sed postquam non multum profecisset, domum revertisse. Nunc quo spectent μειράκια ἐν τοῖς σφυροῖς ἕλκοντα τὴν στρατηγίαν plane intellegitur, si quidem de Alcibiadis collegarumque eius itinere longinquo in Peloponnesum facto accipiuntur; itaque Lenaeis aut Dionysiis sequentibus i. e. Ol. 90, 2—418 Pagos actam esse sumemus. Non obstat κινούμενα epitheton, quo Cliniae filium Eupolis calumnians quidem sane ornare poterat, quoniam iuvenis ille propter corporis venustatem amatores multos habuit cfr. Plut. Alcib. 3 et 5, Aristoph. Acharn. v. 716: εὐρύπρωκτος καὶ λάλος χὠ Κλεινίου. Sed et alia non inepte opinor ad Alcibiadem referuntur, imprimis fragm. 23 (M. II, 471, K. I, 284 fr. 101): ἀνὴρ πολίτης πουλύπους εἰς τοὺς τρόπους cfr. Thuc. V, 45 seq., ubi eum nequissima quidem sed ingeniosa fraude Lacedaemoniorum legatos totos decepisse memoriae traditur; neque ἀνήρ vocabulum hoc vetuerit cfr. Aristoph. Nub. 1167, quo loco Phidippides ceteroqui μειράκιον appellatus semel ἀνδρὸς nomen accipit. Fortasse etiam fragm. 17 (K. 121) Alcibiadem respicit, vid. Gilbertum l. l. 223, qui praeterea rectissime fragm. 15 Demis abiudicavit: neque de fragm. 26 (K. 109) nimis dubitaverim cfr. Gilbert. pag. 224 et adn. 6, e quo Cliniae filio quoque

*) Primo quidem Eupolis Adulator. Alcibiadem vexavit M. II, 494 fr. 18 (K. I, 300 fr. 158) quocum loco conferas Pherecr. fragm. inc. ap. M. I, 342, 5 (K. I, 194, 155); ceterum Alcibiadem a. 452 natum esse, Wilamowitzius nunc statuit Herm. XX pag. 482 adn.

(cfr. infra et p. seq.) partes hac in fabula fuisse probabiliter colligas. — Videamus nunc, num e Pagorum fabula Thucydidis illam narrationem aliquo modo supplere et omnino opinionem nostram aliis rebus fulcire possimus. In contionibus illis tumultuosis tres fuisse videntur cfr. Thuc. V, 45, cap. 46 initium finem — praeter Alcibiadem Niciamque, qui maximas quidem et partes egerunt, alios quosdam oratores exstitisse per se veri simillimum est, qui aut pro Atheniensium foedere cum Argivis componendo aut de Lacedaemoniorum amicitia servanda verba facerent. Inter quos Demostratum illum cum Alcibiade fecisse, ex huius viri moribus facile perspicitur, quem bellicoso ingenio hominem novis rebus semper maxime studuisse persuasum habebimus, si expeditionem Siciliensem eum magno clamore commendasse in memoriam nobis revocaverimus cfr. Plut. Nic. 12 Alcib. 18 Aristoph. Lysistr. 391 seq. Hunc oratorem eumque optimum esse, fragmento 7 M. (K. 96) *) Eupolis mordaci cum ironia affirmat; dein fragm. 34 M. (K. 97) Demostratum clamitantem commemorat poeta, ubi quo ἀδικούμενος illud referendum sit in medio relinquo (fortasse de verberibus intellegendum est); attamen id constare videtur, hunc versum aliquo modo cum illo Aristoph. Lysistratae loco concinere. Contra Phaeax, antea legatus in Italiam Siciliamque missus (cfr. Thuc. V, 4, Pseudo-Andoc. IV, 41) mihi simul cum Nicia pacem defendisse videtur. Quem loquacem magis quam facundum fuisse (cfr. Aristoph. Eq. 1377 cum K. ann.) fr. 8 M. (K. 95) Eupolis irascens quidem nescio an idcirco dicat, quod vir ille Alcibiadis et amicorum eius dicendi vi et quasi tempestate deiectus, populo de foederis cum Argivis faciendi inopportunitate atque pravitate non persuadere et rem suam nullo modo tueri potuit. Denique de Damasia Laespodiaque cfr. fr. 37 (K. 102):

ταδὶ δὲ τὰ δένδρα Λαισποδίας καὶ Δαμασίας
αὐταῖσι ταῖς κνήμαισιν **) ἀκολουθοῦσί μοι —

*) Verba haec inter Myronidem et Periclem ita distributa velim, ut Pericles quidem interroget, Myronides respondeat, cfr. fr. 9 M. (K. 98).

**) Haec vocabula mea sententia sanissima sunt, quae interpretaberis: „Arbores illae Laespodias et Damasias simul cum cruribus secuntur me“;

coniecturam minus incertam periclitari ausim. Quem enim secuntur illi? Miltiadem si quid iudico, nam hoc fragmentum non procul ante fragm. 2 (K. 90):

Οὐ γὰρ μὰ τὴν Μαραθῶνι τὴν ἐμὴν μάχην
χαίρων τις αὐτῶν τοὐμὸν ἀλμυνεῖ κέαρ —

locum suum habuisse apparet; τις αὐτῶν ergo Laespodiam Damasiamque spectant, quorum personas Eupolis in scaena exhibuit. Porro concluserit quispiam, hos quoque ut μειράκια κινούμενα poetam notasse, itaque eos cum Alcibiade exercitui praefectos esse; qua coniectura ἕλκειν voci alia novaque quaedam lux afferri videtur. —Postremo de Pagorum consilio atque ingenio prioribus nonnulla addam. Niciam Myronidemque*) Eupolidem in fabulam induxisse e fragmentis 4 (K. 91) et 9 (K. 98) statuendum est, cfr. fragm. 7 (96) et adnot. prim. pag. 25, ita ut iis partes honestissimas tribueret. Atque haec non sine causis gravissimis fecit: nam quos viros aptiores hanc ad rem habebis, quam Niciam et Myronidem, quorum ille Thebanis**) apud Oenophyta fusis summis in laudibus erat, alter Ol. 89, 4 foedere quinqua-

crura igitur illorum quasi comites pronuntiantur ioco Eupolide non indigno, quae mala post se trahere viri irrisi cogantur. Laespodiae nominis etymologia haec quoad fieri potest firma reddit. Demetrius Ixion (cfr. schol. Av. 1569) quidem, cum in lectionibus Atticis scriberet: λαισποδίας ὁ ἀκρατὴς περὶ τὰ ἀφροδίσια, ὥστε καὶ κτήνη σποδεῖν, sic diremit: Λαι—σποδίας, quod sibi habeat. Certe ita separandum est; Λαισ—ποδίας, vid. Hesych. λαισ—καπρός et λαίσ—παις = βούπαις, praeterea Theogn. 9, 22, qui Λαιποδίας quoque formam habet; cfr. λαί—λαψ, λαί—μαργος, λαι—μάσσω al. Vernacule ergo vocabulum illud transferas: Klumpfuss, quocum omnes comicorum loci optime conveniunt. Hesychius s. v. Λαισποδίας de δρεπανώδεσι ποσί haud apte fabulantes adfert.

*) Errat Bergkius comm. 348, qui et Myronidem ex inferis evocatum esse putat; nam Myronidem quamvis grandaevum tum adhuc superstitem fuisse e Plut. Pericl. 24 (M. fr. 24 K. 98) facile concluditur, ubi Pericles ab illo et propter fortitudinem et ob morum severitatem semper celeberrimo (cfr. Arist. Lysistr. 801 et Eccl. 303) certior fit, iam dudum futurum fuisse, ut Periclis filius vir fieret, nisi id ipsum, quod a meretrice se natum esse sciret, animum eius deprimeret. Sic enim cum Meinekio huius fragmenti v. 2 intellego Kockiumque non laudo. E fragm. 1 M. (K. 116) vero nihil elicies cfr. annot. 2 pag. 39, hoc addo propter K. pag. 279.

**) Quid Lacedaemonii hic sibi velint ap. M. II, 462 et K. I ad fragm. 98, equidem nescio, cfr. Thuc. I, 108 (IV, 95).

ginta annorum cum Lacedaemoniis icto (cfr. Thuc. V, 26 seq.) optime de patria meritus aeternam sibi gloriam comparavit? Deinde sequentium quae supra tractavimus temporum seditiones atque tumultus Niciam, ut vir erat levis neque admodum sibi constans et ad timorem mire quantum propensus *), cum novum bellum et suo iure quidem metueret, adeo perturbaverunt et vexaverunt, ut quid de Argivis novis sociis de Lacedaemoniisque faciendum esset, nullo modo sciret; qui cum anni 419 hieme Epidaurum occupassent effecerunt, ut Athenienses pacem laesam esse declararent cfr. Thuc. V, 56. Itaque eum Eupolis quattuor illos Athenienses nobilissimos ab inferis evocantem facit (sic cum Bothio poet. com. graec. fragm. pag. 161 et cum Kockio I ad fragm. Eupol. 91 puto), a quibus in rebus maxime intricatis auxilium petat. De reliquis coniecturas proferre hodie longum et vix tironis est; hoc tantum addiderim, Niciam cum Solone et Aristide, Myronidem cum Miltiade et Pericle locutos esse videri cfr. M. 4 et 9 (K. 91 et 98) **); quae cum virorum illorum moribus atque ingenio haud male concinere fateberis. Pisistrati quoque partes fuisse schol. Acharn. 61 demonstrat. Eupolidem saepius non solum ad res modo gestas (fr. 13 M., K. 100), sed etiam ad Ol. 90, 1 (fr. 7, 34, 8, 23; K. 96, 97, 95, 101) respicere nemo mirabitur, qui comoediae atticae veteris rationem probe intellexerit.

Baptas (M. II, 447: K. I, 273 seq.) fabulam Eupolidem non solum adversus Alcibiadem eiusque socios (quibus Baptarum nomen indidit), sed etiam contra Corinthios scripsisse, apud quos Cotytto dea, effusarum libidinum causa, maximo in honore habebatur, Meinekius compluribus e testimoniis recte enucleavit cfr. h. cr. 119—121 et K. I, 273. Et ita rem instituit poeta,

*) Cfr. Plut. Nic. 2: τῇ φύσει γὰρ ὢν ἀθαρσὴς καὶ δύσελπις, ἐν μὲν τοῖς πολεμικοῖς ἀπέκρυπτε τὴν δειλίαν — — τὸ δ᾽ ἐν τῇ πόλει ψοφοδεὲς καὶ πρὸς συκοφάντας εὐθορύβητον αὐτοῦ κ. τ. λ., tum vid. cap. 3, 4 seq., cfr. praeterea Arist. Equit. initium al. loc.

**) Praeterea Raspius et fragm. 1 M. (K. 116) Myronidi tribuit, non recte opinor; nam meo iudicio neminem nisi Miltiadem haec verba decent; ego quidem fragm. 7 (K. 96) — cfr. supra — et fragm. 13 (K. 100) Myronidi dare volo.

ut Baptae illi, de quorum nominis significatione vid. Lehrsium ap. Kockium, dea ipsa psallente *), quam meretricis habitu in scaenam inductam esse vere colligendum est e quibusdam comoediis Aristophaneis (cfr. imprimis Pacem), immodicum et obscoenum in modum saltarent **); vid. K. I ad fragm. 77. Fabulam hanc Ol. 91, 1 (a. 415) Liberalibus urbanis destinandam esse, quae tribus ante Siciliensem expeditionem mensibus sunt celebrata, Meinekius h. cr. 125 (cfr. K. I, 273; Wilamow. 39 adn. 25 al.) mihi non persuasit; immo equidem Gilberto assentior, qui „Beiträge zur innern Geschichte Athens" pag. 242 Ol. 90, 4 Baptas assignavit. Quam coniecturam alio argumento haud levi fulcire quodammodo poterimus, si ad Aristoph. Anagyri fragm. 18 M. II, 964 (K. I, 405 fr. 54):

ἐκ δὲ τῆς ἐμῆς χλανίδος τρεῖς ἀπληγίδας ποιῶν — —

casu eoque felicissimo usque ad nostra tempora servatum animum attenderimus. His verbis Eupolidem perstringi speciose Bergkium suspicatum esse Cobetus obs. crit. pag. 66 censet cfr. Muhl. pag. 49 et Fritzsch. quaest. Aristoph. 144, qui nimis stricte ad Maricantem, Autolycum I et Aetatem Auream versum refert. Sed cur Aristophanes Anagyri parabasi in Eupolidem

*) Hoc Meinekius recte e schol. Iuven. II, 92 conclusit h. cr. 121; sed idem vel Iuvenalis locus ipse docet (quod virum doctissimum fugisse videtur) qui ad Eupolidis Baptas aperte spectat (cfr. Fritzsch. quaest. Arist. 204):

„Talia secreta coluerunt orgia taeda
Cecropiam soliti Baptae lassare Cotytto" —

scilicet illam Cotytto, quae apud Eupolidem psaltria in scaena aderat; Cecropiam Cotytto Iuvenalis error esse videtur, cfr. Buttm. ap. M. h. cr. 121 et Lobeck. Aglaoph. 1004 seq. Ceterum miror, qui fieri potuerit, ut homines doctos lassandi vocabulum cruciaret, quod Buttmannus „frequenti voce invocare" (cfr. M. I, 120 adn. 67) interpretatur, Meinekius ipse ad cymbalorum tympanorumque strepitum, quo Baptae illi deam suam obtundebant, referre vult. Ego quidem lassavisse eos Cotytto existimo, cum saltare non desinerent deamque usque psallere cogerent.

**) πείθεις vocem v. 4 M. suppl. add. V, 70 (cfr. fr. 1 II, 447; K. I, 276 fr. 77) aperte corruptam Goettlingius Ind. Ien. hib. 1853/4 (cfr. Schneidewin. Gött. gel. Anz. 1852 pag. 426) probe correxit τιθεῖς scribens. Ceteroqui versibus 3 et 4 verborum et sententiarum lusum quendam habemus; nam proprie haec verba ad saltandum spectant cfr. Arist. Pac. 332, attamen hic ita dicta sunt, ut obscoenum sensum iis addere voluisse comicum putare nos necesse sit.

invectus sit, iam luce clarius fit, si ad Eupolidis Baptas oculos advertimus, ubi fragm. 16 M. II, 453 (K. I, 276 fr. 78) hoc legitur:

κἀκείνους τοὺς Ἱππέας
συνεπόησα τῷ φαλακρῷ τούτῳ κἀδωρησάμην.

Haec omisisse, haec passum esse Aristophanem quis credere possit? Immo vero respondit et bene salseque respondit opprobria amplificans *), cum Eupolidem ex una fabula Aristophanea tres suas fecisse atque consuisse civibus affirmavit. Et iocose quidem eodem metro videtur usus esse quo Eupolis. Itaque Anagyrus cum nullo modo Ol. 91, 2 acta esse possit, qui annus iam duabus comoediis Aristophaneis certe sit occupatus Amphiarao scilicet et Avibus cfr. Avium hypoth. 2 et 1, magna cum probabilitate Ol. 91, 1, Eupolidis Baptae vero Ol. 90, 4 dabuntur. Accedit adiumentum haud contemnendum Anagyri fragm. 11 M. II, 962 (K. I, 405 fr. 53), ubi Perdix commemoratur nusquam carptus nisi in Aristoph. Avibus. — Quod ad Anagyri comoediae argumentum attinet, Bergkius ap. M. II, 959—60 fragmento 7 (K. I, 404 fr. 51) cum Euripidis Hippolyti versu 219 comparato, quae e cod. Coisl. sumpsit II pag. 960 (cfr. Kock. I pag. 402, Hiller. Hieron. Rhod. Peripat. fragm. 1879 pag. 11) quaeque Suidas habet s. v. Ἀναγυράσιος, affert, ut quandam similitudinem inter Anagyrum Aristophaneam et illam de Theseo Phaedraque fabulam intercessisse demonstret. His omnibus suo more ita abusus est Muhlius pag. 48, ut Aristophanem dramate suo totam Hippolytum Euripideam in ridiculum deflexisse planis verbis (quod Bergkius probe vitaverat) contendat Anagyrumque Ol. 89 adscribendam esse affirmare conetur. Sed uterque Suidae verba neglexit haecce: — ἱστορεῖ δὲ Ἱερώνυμος ἐν τῷ περὶ τραγῳδιοποιῶν, ἀπεικάζων τούτοις τὸν Εὐριπίδου Φοίνικα, e quibus Hieronymum Rhodium tantum Euripideae Phoenicis fontem aperire voluisse apparet; quod iam Welckerus, qui in libri de tragoediis graecis vol. II pag. 804 de

*) Eupolidem Baptarum versum contra Aristophanis Anagyri locum illum scripsisse, nemo contendet qui duo fragmenta inter se accurate comparaverit.

hoc loco commentatus est, et Nauckius Eurip. trag. III pag. 224 rectissime cognoverunt. Nam Phoenicis illius fabula ap. Homerum Iliad. I, vv. 447—484 longe aliter tradita exstat, imprimis cum illic Phoenix matris precibus commotus patris concubinae vim afferat et genitoris iram hoc facinore excitet (cfr. 449—456). Contra Euripides inscientem illum nullique culpae obnoxium introduxerat, cfr. schol. Il. I, 447: καὶ Εὐριπίδης δὲ ἀναμάρτητον (Eusth. ἄπταιστον) εἰσάγει τὸν ἥρωα ἐν τῷ Φοίνικι, vid. etiam Apollodor. III, 13, 8. Ceterum ambarum fabularum i. e. Anagyrasii et Phoenicis similitudines ultra paelicis malignas criminationes et filii ἐκπήρωσιν procedere non potuisse Welckerus pag. 804 apte monet; nisi forte repudium legitimae uxori renuntiatum addere vis: Bergk. ap. M. II, 960 etc.: πρῶτον μὲν γὰρ ἀπέβαλε (hoc recte emendavit Leutschius pro ἀπέλαβε) τὴν γυναῖκα, ἐξ ἧς αὐτῷ παῖς ἐγεγόνει cfr. Hom. I. 450: ἀτιμάζεσκε δ' ἄκοιτιν. Sed alia quaestio oritur, num Phoenicis argumentum, quale Euripides composuerit, aliquo modo Hippolyti cum fabula cohaereat. Ego quidem poetam tragicum Anagyrasii fabulam illam atticam in memoriam sibi revocasse et ad Phoenicem conformandam ex industria adhibuisse, cum Hieronymo praecipue propter ἐκπήρωσιν illam censeo; Hippolytum vero e Troezenia quadam fabula natam esse constat. Ceterum iuvenem quendam virtutem suam adversus mulieris alicuius illecebras defendisse alibi quoque invenimus cfr. Bellerophontis fabulam ap. Hom. Z, VI, 153—193, quam Euripides Stheneboea dramate tractavit, vid. Welcker. l. l. 777—85, Kalkmann. de Hippolytis Euripideis quaest. nov. Bonnae 1882 pag. 104. — Redeamus nunc ad Aristophanis Anagyrum. Bergki Muhli sententiam omni fundamento carere vidimus: nec si quis dixerit (cfr. K. I, 402) ad Euripidis Phoenicem Anagyrum spectare, facile ei credemus. Nam e fragmentis nihil colligere possumus, nisi forte fabulae exordii similitudinem cum Nubibus aliquam. Attamen mea sententia non solum titulo, sed argumento etiam comoediae illius Aristophaneae et Diphileae (nam hic quoque Anagyrum composuit cfr. M. h. cr. 452 et IV, 379) lux quaedam afferetur, si Phrynichum Ephialtem (quem M. I, 154 rectissime

de Incubone interpretatur) et Cratetem Lamiam fabulam scripsisse in memoriam nobis revocaverimus. Nec nullius momenti est, Anagyri nomen apud Atticos in proverbium*) de iis dictum, qui ad herois tumulum impie accesserint, postea abiisse: quod comoediae splendore fortasse effectum est.

Aristophanis Amphiaraum Ol. 91, 2 (414) Lenaeis per Philonidem actam esse ex Avium hypotheseos 2 fine constat, eiusdem Aves per Callistratum illius anni Dionysiis in scaenam prodiit simulque cum hac fabula Amipsiae Comissatores, qui primus, et Phrynichi Monotropus, qui ultimus fuit, cfr. Avium hypoth. 1.

De Amipsia illo cfr. M. I, 199—241, II, 701 seq.; K. I, 670 seq. nihil aliud afferre possum. Neque Muhlio — quod nemini hucusque obtigit viro docto — novum aliquid eruere licuit, quamvis Apocottabizontes comoediam aut Ol. 89 aut 90 actam esse contendat. Qui Aristoph Vesp. v. 45 collato κλιβανίτην ἄρτον pro κριβανίτην nullum nisi Alcibiadem solum dicere potuisse, pag 109 libelli sui nobis persuadere vult. Sed quam vana atque inepta haec coniectura sit, illum ipsum non fugisset, si Athenaei locum III, 110 c evolvere ac perlegere operae pretium habuisset. En habes eum: Οἶδα δ', ἄνδρες φίλοι, ὅτι Ἀττικοὶ μὲν διὰ τοῦ ρ στοιχείου λέγουσι καὶ κρίβανον καὶ κριβανίτην, Ἡρόδοτος δ' ἐν δευτέρᾳ τῶν ἱστοριῶν (verba exstant 92 capitis fine) ἔφη· Κλιβάνῳ διαφανεῖ· καὶ ὁ Σώφρων δ' ἔφη· „Τίς σταιτίτας ἢ κλιβανίτας ἢ ἡμιάρτια πέσσει"; cfr. praeterea Phrynich. 179 al. loc., e quibus κλιβανίτην formam quamvis usitatam, tamen ut minus atticam a grammaticis non probatam esse elucet.

Nunc eas fabulas tractemus, quas nonnulla cum veri similitudine Ol. 89—91 adscribas.

Platonis Satyros propter Philoxenum, vid. M. II, 598 fr. 3 (K. I, 382 fr. 47), Ol. 89 aut 90 dare possumus vid. Arist.

*) Locos hos omnes accurate exscripsit Hillerus Hieron. Rhod. Peripathet. fragm., comment. ex satura philol. H. Sauppio oblata seorsum expressa 1879 pag. 12; cfr. Milleri Athoum et Laurent. ap. Fresenium de λέξεων Aristoph. et Suetonian. Byz. exc. 1875 pag. 44.

Nub. 686 Vesp. 84 Eupol. Civit. ap. M. II, 514 fr. 14: Arist. Ran. 934 Eryxis iam, filius eius, deridetur. Calliam Pedetas ineunte bello Peloponnesiaco agendam curasse Kockius pag. 696 propter fragmenta 14 et 15 (cfr. M. II, 739—40 fr. 4 et 8) affirmat: sed Periclis commemoratio talis fuisse videtur, ut ante eius mortem comoediam illam in scaenam datam esse nos putare opus non sit cfr. verba ipsa δημηγορεῖν παρεσκεύασεν et Aeschinis Aspasiam dialogum, tum Arist. Acharn. 530 seq., Eq. 283, Nub. 213, 859; Pac. 606. Neque Lampo ludificatus Kocki sententiam ullo modo probabilem reddit, qui non solum apud Cratinum Nemesi schol. Av. 521 et Drapetid. M. II, 43, 1 (K. I, 30 fr. 57), sed etiam ab Eupol. Aurea Aetate M. II, 545, 23 (K. I, 338 fr. 297) et a Lysippo Bacchis carpitur. Attamen hos ob duos viros c. Ol. 89 Pedetas actam esse statuere possumus; cui coniecturae certe non adversatur Melanthius derisus, quem praeter Leuconis Phrater. et Aristoph. Pac. 803 cfr. 1008 et Aves 151 Eupolis quoque Adulator. et Imbellibus vexavit cfr. Arist. Pac. schol. 808, postremo Archippus Piscibus (c. 400): neque Sacas (cfr. Cratin. Seriph. M. II, 133 fr. 2, K. I, 76 fr. 208, Arist. Av. 31; Metagen. Philothyt. M. II, 758 fr. 2, K. I, 708 fr. 13) vel Acestor (vid. Cratin. Cleobul. M. II, 68 fr. 1 K. I, 39 fr. 85; Arist. Vesp. 1221, Eupol. Adulat. M. II, 485 fr. 1 v. 14, K. I, 301 fr. 159; Theopomp. Tisam. M. II, 815 fr. 1, K. I, 749 fr. 60). Praeterea memoratu dignissimum est fragm. 2 ap. M. II, 739 (K. fr. 12), e quo Euripidi hac in fabula partes quasdam fuisse facile concluditur. Hic Lysippi, quem iam Ol. 86, 2 Catachenis victoriam sibi parasse incertissima — ne dicam temeraria — est Meineki coniectura cfr. Boekh. C. I. pag. 349—52, Bacchas (M. II, 745 fr. 6; K. I, 702, 6) iisdem fere temporibus, quibus Calliae Pedetas, actam esse breviter addam. Deinde Metagenis Philothytem cum propter Sacae cavillationem, tum propter fragm. 1 M. II, 756, K. I, 708 fr. 14, certissime in parabasi exhibitum, primis huius poetae fabulis assignabimus. Denique ob Acestorem (vid. M. II, 815 fr. 1; K. I, 749 fr. 60 cfr. Muhl. 114—5) etiam Theopompi (vid. Suidam s. v.) Tisamenum Ol. 90 hic adscribere

possumus: cui comoediae qui nomen suum dedit, cum Meinekio I, 242 seq. eundem esse puto, quem primo Arist. Acharn. 403 derisisse, postea triginta tyrannis expulsis Solonis leges restituendas curasse cfr. Andoc. I, 83 Lys. 30, 28 constat. — Item Pherecratis Petalen cum Muhlio pag. 86—7 Ol. 90 recte tribui puto, sed non ideo, quod Athenaeus VIII, 343 c (vid. M. II, 322 fr. 3: K. I, 185 fr. 139) ad didascalias ei respicere videtur opinatione futili, si quidem Leuconis Phrateres, qui Ol. 89, 3 tertium praemium abstulit, ante Aristophanis Pacem collocata est. Attamen commendat illam coniecturam Melanthi commemoratio, qui ab Arist. Pace usque ad Archippi Pisces (cfr. supra pag. 32) comicis ludificandi materiam praebuit, et Clisthenis, quem Aristophanes ab Acharnensibus (v. 118) usque ad Thesmophoriazusas acerbissime carpsit. Quod ad eiusdem poetae Furnum vel Pannychidem, propter fr. 2, K. 58:

Οὐχ ὁρᾷς τὴν οἰκίαν
τὴν Πουλυτίωνος κειμένην ὑπώβολον;

hanc comoediam annis Ol. 91, 1 (415) antecedentibus dare possumus. Nam mysteriorum violatione detecta omnes scelerati postquam praeter Polystratum ut auxilium a fuga peterent urbem reliquerunt absentes mortis damnati sunt bonaque eorum publici iuris facta cfr. Andocid. de myster. § 12, 13; Thuc. VI, 28; C. I. A. I, 274—281 et Dittenb. syll. 41. Ceterum Polytionem parasitum quendam (cfr. Suidas s. v. ἐξωρχησάμην) cum mysteria illa impiissime profanarentur daduchi partes egisse nobis tradit Plut. Alcib. cap. 19 et 22. Muhlius, qui pag. 85—6 οἰκίαν ὑπώβολον de domo a republica oppignerata vel elocata suo arbitrio interpretatur contra Photium ὑπώβολον: πρὸς δάνειον καὶ τόκον, itaque Furnum annis Ol. 91, 1 proxime subsequentibus dat, haec et imprimis reliqua omnia sibi habeat. Certe Polytion domum suam elocavit ipse, quantum ex illo Pherecratis versu concludere possumus. — Aristophanis Horas, quam ad secundam classem Bergkius ap. M. II, 1170 recte rettulit, posteaquam hac in re sicut in compluribus aliis prius erravit pag. 898, Ol. 90 exhibitam esse, ubi Aristophanis fabulae desiderantur, e quorundam virorum ludificatione suspicabimur. Commemoratur

enim Androcles — si quidem recte Bergkius ἄρα in Ἀριστοφάνης emendavit — fr. 4 B. ap. M. II, 1173 (K. I, 538 fr. 570 cfr. Cratin. Seriph.), Callias fr. 13 (K. 572 cfr. Cratin. Archiloch. M. II, 24 fr. 13, K. I, 15 fr. 11; Eupol. Adulator. praecipue M. II, 488 fr. 5, K. I, 303 fr. 161), Theogenes (M. fr. 12, K. fr. 571 cfr. Vesp. 1183 Pac. 928 Av. 822, 1127, 1295 Lysistr. 63; Eupol. Pag. M. II, 474 fr. 35, K. I, 290 fr. 122) et Chaerephon (Arist. Vesp. 1408, 1412 Nub. 104, 144, 146, 156, 503, 831, 1465 Av. 1296, 1564; Eupol. civit. M. II, 516, 22, K. I, 322 fr. 239). Quod ad Muhlium attinet, plura verba facere cogor quamvis invitus; qui et Aristoph. Horas et Dramata duas et Telmessenses fabulas ante Ol. 91, 2 esse productas e Chaerephontis commemoratione elicere sibi visus est, Avium versibus 1560 seq. nitens, quos Chaerephontem vita modo defunctum spectare contendit. Sed fugit eum Plat. apol. 21 A: Χαιρεφῶντα γὰρ ἴστε δήπου· οὗτος ἐμὸς ἑταῖρος ἦν ἐκ νέου, καὶ ὑμῶν τῷ πλήθει ἑταῖρός τε, καὶ ξυνέφυγε τὴν φυγὴν ταύτην, καὶ μεθ᾽ ὑμῶν κατῆλθε. quibus verbis Atheniensium fugam Ol. 94, 1 respici quis est quin intellegat? Corruit igitur Muhli sententia ac ratio tota. De huius fabulae argumento et singulis quibusdam fragmentis Leo, praeceptor benevolentissimus, coniecturas easque speciosas mecum communicavit; qui fr. 11 M. II, 1174, K. I, 539 fr. 576 ζεῦγος τρίδουλον ad tres illas Horas cfr. Hesiod. Theogon. 901—2 (vid. fr. 2, K. 567) refert et inter easdem fragm. 1 M. II, 1171, K. I, 536 distribuit. — Hermippi Cercopes (M. II, 393, K. I, 233) c. Ol. 90 editam esse docent Leotrophides (fr. 1 cfr. Arist. Av. 1406 cum scholiis) Thumantis (fr. 1 cfr. Aristoph. Eq. 1267) et Hieroclides (fr. 6 cfr. Phryn. Comast. M. II, 587 fr. 4), quem cum Hierocle (vide Arist. Av. 1043-1126, Eupol. Civit. ap. M. II, 515) unam eandemque personam esse non improbabiliter Muhlius pag. 75 coniecit. Ob eundem Leotrophidem Theopompi Cauponae (vid. M. II, 800, 1; K. I, 739, fr. 24) fortasse Ol. 91 acta est. Praeterea cum de Hermippo statuere possimus, post Ol. 92 eum chorum nullum accepisse videri, Minervae natales*),

*) Futilis est Meineki h. cr. 279 coniectura, qua Hermippeam Minervae natales iis antiquae comoediae temporibus assignandam esse censuit, quibus

Populares, Europa, Dei, Milites huc in censum veniunt, quas magna ex parte multo ante Euclidis annum in scaenam prodiisse putabis. Archippum Amipsiae aequalem Ol. 91 semel vicisse, Suidas s. v. tradit. Sed quaenam fuerit comoedia, vix enucleabis: nam de celeberrima huius poetae fabula Piscibus scilicet omnino non cogitandum est, utpote quam haud ita multo post Euclidis annum exhibitam esse ex Athenaeo VII, 329 b (M. II, 719): ἀποδοῦναι δ' ὅσα ἔχομεν ἀλλήλων. ἡμᾶς μὲν — Εὐκλείδην τὸν ἄρξαντα — constet. De Rhinone idem non affirmaverim, quamquam ille unus ex iis fuit, qui post triginta tyrannorum dominationem eversam Atheniensium reipublicae praefuerunt cfr. K. I. 687: attamen titulus atque totius argumenti ratio impedire non videtur, quominus hanc comoediam post Euclidis annum actam esse putemus, cfr. infra pag. 47 Strattidis Cinesiam.

De Phrynichi Comissatoribus (M. I, 155, II, 586, K. I, 373) coniecturam periclitatus est Bergkius comm. 369–70 certe gravem, qui hanc fabulam unam eandemque esse affirmat, qua Amipsias Ol. 91, 2 victoriam sibi comparaverit. Nam cum duas comoedias poeta composuisset in scaenamque producere vellet (quod lege interdictum erat), alteram amico tradidisse, alteram Monotropum scilicet ipsum docendam curasse. Quam suspicionem a Meinekio, Wilamowitzio (pag. 31), Kockio aliis probatam omni certo fundamento carere et Phrynichi Comissatores post Ol. 91, 2 actam esse demonstrare conabor. Accedamus igitur ad schol. Arist. Av. 1569, ubi ab eodem scholiasta opinor scripta haec verba inveniuntur (ap. Duebn. pag. 244): Λαισποδίας εἶ τὴν φύσιν: ὅτι τὴν κνήμην εἶχε σαθρὰν (Suid.: σαπρὰν R. Ald.) ὁ Λαισποδίας καὶ μέχρι τῶν κάτω περιεβάλλετο (quae secuntur καὶ οἱ βάρβαροι δὲ τὰ σκέλη περιβέβληνται futile sunt deteriorum codd. addidamentum ex Avium loco ipso — ubi deum Triballum vestem usque ad talos demittentem Neptunus irridet — conflatum, quod verborum conexum male interrumpit).

---

comicae poesios libertas Morychidis lege ita coercita esset, ut poetae a rerum publicarum tractatione et singulorum hominum irrisione deterrerentur cfr. Leo quaest. Arist. pag. 23.

Λαισποδίας δὲ (δέ om. V., qui et antecedentia neglexit) καὶ Δαμασίας ὡς κακόκνημοι διαβάλλονται. μνημονεύει δὲ αὐτῶν καὶ Εὔπολις ἐν Δήμοις — versus laudantur, quos iam supra tractavi —, τοῦτον δὲ Λαισποδίαν καὶ στρατηγῆσαί φησι Θουκυδίδης ἐν η′ [86]. μέμνηται δὲ αὐτοῦ Φρύνιχος ἐν Κωμασταῖς, ὡς πολεμικοῦ γεγονότος — quae deinde exstant verba eidem commentatori Didymi scilicet opibus uso debemus. Sed redeamus nunc ad priorem partem, ubi post Eupolidis Pagos locus quidam Thucydideus citatur, quem libro η′ VIII exstitisse R. tradit (cfr. Ald.; V. et Suidas ἐν τῇ η′ habent), Dindorfius et Duebnerus capite 86 invenisse se falso crediderunt. Nam illic Laespodiam στρατηγῆσαι omnino non narratur, sed potius eum, Aristophontem Milesiamque, legatos a quadringentis Spartam designatos, a Paralis ut patriae proditores Argivis traditos esse; quippe qui non solum oligarchorum essent duces, verum etiam cum Atheniensium hostibus pacem omni modo componere cogitarent. Itaque στρατηγῆσαι aperte corruptum et πρεσβεῦσαι restituendum esse dixerit quispiam. Sed multo melius opinor omnes difficultates alia via diluuntur. Evolvas quaeso Thuc. VI, 105, 2, qui locus talis exhibetur: Ἀθηναῖοι — — Πυθοδώρου καὶ Λαισποδίου καὶ Δημαράτου ἀρχόντων ἀποβάντες ἐς Ἐπίδαυρον τὴν Λιμηρὰν καὶ Πρασιὰς καὶ ὅσα ἄλλα ἐδῄωσαν τῆς γῆς. καὶ τοῖς Λακεδαιμονίοις ἤδη εὐπροφάσιστον μᾶλλον τὴν αἰτίαν ἐς τοὺς Ἀθηναίους τοῦ ἀμύνεσθαι ἐποίησαν. Ecce Laespodiam Atheniensium ducem. Ad hunc Thucydidis locum quin scholiasta ille doctissimus respexerit, nemo dubitabit neque quisquam olim φησὶ Θουκυδίδης ἐν ⊏ ς′ (vel fortasse Z) exstitisse non credet, e quo postea leni corruptela ἐν H′ illud natum sit. De altera librorum Thucydideorum divisione hic non cogitandum est (vid. Wilamowitz. cur. Thucyd. progr. Gotting. 1885 pag. 7 seq.). Nostram octo librorum partitionem Aristophanis commentatores unam ante oculos habuisse, docent schol. Av. 186 Ach. 270, quamvis plerisque locis tantum ὡς Θουκυδίδης al. simil. exstent. Saepius commemoratur primus liber ut Pac. 212, 242, 270 Av. 147, 484 Thesm. 697: Ran. 541, ubi αὐτόν nempe Theramenem ἐν πρώτῳ ἐπαινεῖ Θουκυδίδης falso codd. praebent omnes, non Suidas: item numeri corruptelam

habemus. — Sed pergamus. Laespodias, qui dux creatus Ol. 91, 3 (i. e. anni 414) aestate aut auctumno Lacedaemoniorum oras devastavit, a Phrynicho in Comissatoribus ut modo bellicosus factus — nam ita πολεμικὸς γεγονώς vertendum est, non bellicosi homo ingenii, quod Meinekio II, 476 placuit — ludificatur videlicet anni insequentis Lenaeis aut Dionysiis. Itaque Bergki sententia tota corruit fabulamque illam sine dubio recte anno 413 assignabimus. Similiter de Muhlio iudicandum est, qui quod ne Bergkius quidem ausus est, Phrynichi Connum et Cronum Amipsiaeque Connum ita confudit pag. 90, ut has tres comoedias unam eandemque fabulam esse affirmaret De Phrynichi Conno nihil aliud statuere possumus, nisi post Euripidis Medeam eam actam esse id est post Ol. 87, 1 (a. 431); nam M. II. 582 fr. 2 (K. I, 372 fr. 7) aperte illius fabulae semper nobilissimae versus 670 in ridiculum deflectitur. Eiusdem poetae Cronus fabula quinquies a diversis iisque fidis auctoribus testificata quibus temporibus tribuenda sit plane ignoro. Nam Diopithem fr. 1 (ap. M. II, 583, K. I, 372 fr. 9) commemoratum eundem apud Plutarchum Pericl. 32, Telecl. Amphictyon. ap. M. II, 364 fr. 6, Arist. Eq. 1085, Amips. Conn. M. II, 704 fr. 2 (K. I, 673 fr. 10), Arist. Vesp. 380, Av. 988 et Xen. Hell. III, 3, 3, Plut. Agesil. 3 inveniri, cum Kockio (vid. adn. ad Eq. et Av. l. l.) contra Vesp. scholium 380 mihi veri simile esse videtur, cfr. etiam Lobecki Aglaoph. pag. 981. Atque primum quidem illum Anaxagoram accusasse memoriae traditur, postremo Spartae eum oraculum de claudo regno adversus Agesilaum dedisse anno 396, postquam patria fortasse c. 404 emigravit, ita ut Cronus fabula ante Euclidis annum in scaenam data esse possit. —

Phillyli Plyntriae, in qua Laespodias ob litium amorem exagitabatur, ante Ol. 92, 2 mihi producta esse videtur, si quidem Antiphon, a. 411/10 mortis condemnatus, eius adversarius fuit, cfr. Harpocr. s. v. ἀπιστεῖν, Γαληψός, ἐπίσκοπος, Οἰσύμη; quo cum oratore quadringentorum quasi capite paulo post in amicitiam rediisse illum facta ipsa docent.

De Eupolidis Imbellibus disputationem suam Wilamowitzius observ. crit. pag. 51 seq. mihi non probavit, qui M.

fr. 4 II, 437 (K. I, 266 fr. 36) ad Pyrilampem, Demi patrem, rettulit Plut. Pericl. 13 comparato, ubi haec leguntur: διεβάλλετο scil. Pericles — εἴς τε τὰς Πυριλάμπους ὀρνιθοτροφίας, ὃς ἑταῖρος τοῦ Περικλέους αἰτίαν εἶχε ταῶνας ὑφιέναι ταῖς γυναιξὶν αἷς ὁ Περικλῆς ἐπλησίαζεν. Sed primum quidem verbis τοιόνδε ταῶνα apud Eupolidem non avis, sed aliquis quasi pavo quidam recte Kockio ad fr. 36 significari videtur; dein omnino τοὺς εὕδοντας non apte ad mulieres aliquas refertur. Concidit ergo etiam alter locus a Wilamowitzio laudatus, qui ap. Plut. Moral. 581e exstat; neque quicquam certum de Imbellium actione statui posse fatebimur, priusquam ut de Pisandri expeditione ad Pactolum facta (cfr. M. fr. 1, K. fr. 31) aliquid eruatur contigerit. *) Sed fortasse coniectura tempus et annum hariolari possumus, quo res illa gesta sit. Evolve Thucydidis librum VIII, ubi a capite 49 Pisander Atheniensium dux partes easque summas agere coepit; qui Athenis reversus (cap. 53), deinde ad Tissaphernem et Alcibiadem missus (cap. 54 et 56) rem suam tam male gessit, ut Tissaphernes mox tertium cum Lacedaemoniis foedus iniret (cap. 57). Nonne fieri potuit, ut aut antea, cum circa Chium et Lemnum insulas bellum exarserat (cfr. VIII, 24 seq., 30 seq.), aut postea Pisander quibuscumque causis motus ad Pactolum proficisceretur cum Atheniensium exercitus parte quadam, sicut Phrynichus contra Miletum frustra expeditionem susceperat, vid. cap. 25—27? Bene mea quidem sententia fieri potuit, itaque non ante Niciae pacem Imbellium comoediam actam esse puto — ut Wilamowitzius aliquanto audacius e titulo ipso conclusit pag. 51 — sed postquam Athenienses clade Siciliensi accepta rursus in bellum incubuerunt cumque praecipue in Asia minore rem contra socios gerebant. Vltimis igitur Eupolidis fabulis Imbelles non sine aliqua veri specie assignabis, quippe qui circa finem aestatis anni 411 (cfr. Clinton. fast. Hell. 82) i. e. Ol. 92, 2 ineunte apud Cynossema vitam perdiderit, vid. adn. pag. 40; proinde hoc drama aut Ol. 92, 1 (a. 411) ipso simul cum

*) Hanovius exerc. crit. 81 Thuc. II, 97 collato Σπάρτωλον pro Πακτωλόν iusto audacius emendare voluit; quem Meinekium II, pag. 436 laudibus extulisse miror. Talia vix quisquam nunc non inania habebit.

Autolyco in scaenam exhibitam esse contendo aut haud paulo post poetae mortem. Consentit hac cum opinione commemoratio Phormionis (M. fr. 10, K. 40) cuius viri fortissimi memoria sicut Myronidis diu multumque servata est (cfr. Arist. Eq. 562 Pac. 348 Lysistr. 804), et Phrynondae (M. fr. 9, K. 39; cfr. Eupol. Dem., Arist. Proag., Amphiar. M. II, 958, 17 K. I, 398, 26 et Thesmoph. 861); neque adversatur Melanthius (M. 2, K. 41; cfr. Arist. Pac. 804, 1009 Av. 151); de Pisandro vid. praeter Pac. 395 Av. 1556 et Lysistr. 490. Fabulae argumentum, quale e titulo suspicari debemus, cum illis temporibus congruere quis neget, quibus Atheniensium magnus numerus propter calamitatem Siciliensem propter pecuniarum inopiam aliasque ob causas de futuro desperare potuerit? —

Duas Autolycos Eupolidem composuisse vel duas fabulae eiusdem recensiones, e testimoniis quinque a Meinekio congestis apparet, cfr. h. cr. 117—8, K. I, 268; addas quaeso schol. Victor. Hom. Il. N 353 (M. II, 7; K. I, fr. 43). Atque Autolycum primam Ol. 89, 4 (420) exhibitam esse ex Athenaeo V, 216 e constat. Sed cui anno Autolyci II actio tribuenda sit, plura verba faciamus necesse est. Et primum quidem Aristophanem Vesp. v. 1025, quae comoedia Ol. 89, 2 producta est, ad Eupolidis Autolycum respexisse contendit scholiasta. Hoc verum esse non posse et Athenaei locus ille et Aristarchi commemoratio (M. II, 442 fr. 7, K. fr. 43) docet, quem Ol. 92, 1 imperatoris munere functum esse Thucyd. VIII, 98 tradit. Itaque commentatorem istum errasse et Autolycum Amicosque fabulas confudisse cum Wilamowitzio*) pag. 48 (cfr. Bergk ap. M. II, 918—9) censeo, praesertim cum propter argumentorum similitudinem hae comoediae facile inter se permisceri potuerint. Ol. 92, 1 Autolyci II actionis ipsum annum esse, Meinekius h. cr. 118 rectissime statuit; nam et antequam Aristarchus, unus e virorum quadringentorum numero (cfr. Thuc. VIII, 90, 92), Oenoen Boeotis prodiderit (Thuc. 98) — quamobrem ille postea

---

*) Ubi Kockius I ad fr. 57 Eupolid. Wilamowitzium Autolyci alteram fabulam ab Eupolide ante Vespas exhibitam esse affirmasse in dissertatione illa legerit, equidem nescire me libenter confiteor.

captus et in indicium vocatus certe solum vertit cfr. Xen. Hell. I, 7, 28 et Lycurg. adv. Leocratem 115 — atque omnino priusquam viri quadringenti Munichione anni 411 vel sequenti mense (cfr. Clint. fast. Hell. pag. 82: Thuc. VIII, 67—8) rerum potiti sint, fabulam productam esse oportet; quae nescio an cum Aristophanis Lysistrata acta sit*). Hanc enim comoediam Callia praetore (ἐπὶ Καλλίου ἄρχοντος τοῦ μετὰ Κλεόκριτον ἄρξαντος) Ol. 92, 1 per Callistratum in scaenam dedisse Aristophanem, Lysistr. argum. II traditur. Sed utrum Lenaeis an Dionysiis prodierit, viri docti multum invicem disceptarunt; et Lenaeis quidem cum alii tum Suevernius de Arist. Nub. pag. 44 assignatum voluerunt hoc drama, Dionysiis Droysenus cfr. Aristoph. Uebers. 3. Aufl. 1881 II pag. 109—114 quantum video solus isque dubitanter. Ego quidem certum affirmare non audeo, praesertim cum ne omnino diiudicari possit controversia illa magnopere verear, quamquam Lenaeis Lysistratam actam esse veri similius videtur. — Thesmophoriazusas primam simul cum Lysistrata Ol. 92, 1 in scaenam exhibuisse Aristophanem, Odofr. Mueller prolus. acad. a. 1839, Jaepius Utinis 1859 Rankio olim persuaserunt (vid. Arist. vit. ap. M. pag. 44), ita ut Lysistratam Lenaeis, Thesmophoriazusas magnis Dionysiis adscribendas esse putaret, cfr. Enger. Lysistr. edit. praef. pag. 6 Bonn. 1844 et Mus. Rhen. 1846 pag. 49. Sed e Thesmophoriazusarum vv. 808—9 cum Thucyd. VIII, 69 comparatis iam olim viri docti rectissime concluserunt, Thesmophoriazusas Ol. 92, 2 actam esse debere (vid. Vossium et Palmerum ap. Fritzsch. Thesmoph. pag. 308—9, Hanov. exerc. crit. pag. 69 seq. et 82—9, cfr. Droysenum l. l. II, 117 seq., Mueller.-

*) Eupolidem pugna ad Cynossema commissa mortem oppetivisse, Muhlius pag. 10—11 (cfr. M. I, 105—6) non ineleganter disputans probabile mihi reddit vid. Suidam s. v. Εὔπολις: ἀπέθανε ναυαγήσας κατὰ τὸν Ἑλλήσποντον ἐν τῷ πρὸς Λακεδαιμονίους πολέμῳ. Fabula enim de κυνὸς θρήνῳ ap. M. I, 106 adn. 54 e Cynossematis nomine nata esse videtur. Itaque reliquae quoque fabulae: Hybristodicae, Diaeton, Helotes huc in censum veniunt, quas partim Ol. 91 tribuerim. Δίας, Λάκωνες, Κλοπαί, aliarum comoediarum tituli corrupti esse videntur, cfr. M. I, 115, II, 480 et 484; K. I, 293, 296; quamvis de Furtis dubitem.

Strubing. pag. 123 ann., Muhlium pag. 56). Quae coniectura scholiastarum adnotationibus ad v. 190 (cfr. Clinton. fast. hell. pag. 87) et v. 841 adscriptis quam maxime adiuvatur. Et Droysenus quidem, vir egregius, v. 747 acutissime interpretans II, 179 Lenaeis hanc fabulam assignavit; quod iam Fritzschius Thesmoph. pag. 309 e verbo χειμῶνος v. 67 suspicatus est. Droyseni in partes ivit Gilbertus Beiträge pag. 336 *).

De Polyzeli Demotyndareo i. e. populi Tyndareo — ut Muhlius pag. 113 contra Kuehnium ad Polluc. 10, 76 recte hunc titulum explicavit — pauca statuere possumus. Atque primum haud ita multo post Hyperboli mortem (a. 411 cfr. Thuc. VIII, 73) et Theramenis trium poenarum constitutionem (cfr. schol. Ran. 541, Thuc. VIII, 70, Fritzsch. Ran. 232 et Arist. Triphal. B. ap. M. II, 1165 fr. 8, K. I, 531 fr. 549) comoediam hanc actam esse constat. Deinde ob idem fragm. 1 (ap. M. II, 867 cfr. pag. seq., K. I, 790, 3), e parabasi petitum, ultra Ol. 93 Demotyndareum proferre vix licet. Hos versus denique accuratius adspicias quaeso, qui sic traditi exstant:

Τριῶν κακῶν γοῦν ἦν ἑλέσθ' αὐτῷ τι πᾶσ' ἀνάγκη,
ἢ ξύλον ἐφέλκειν, ἢ πιεῖν κώνειον, ἢ προδόντα
τὴν ναῦν ὅπως τάχιστα τῶν κακῶν ἀπαλλαγῆναι.
ταῦτ' ἔστι τρία Θηραμένους, ἅ σοι φυλακτέ' ἐστί.

Quid hic ἢ προδόντα τὴν ναῦν phrasis sibi vult, quam pro ἐκφυγεῖν per verborum ambitum dictam esse e locis supra allatis elucet? Kockius quidem eam optime pugnae ad Aegospotamos commissae convenire sibi persuasit, non recte opinor (cfr. supra). Mea sententia Alcibiadis fugam Thuriis olim factam verba illa respiciunt cfr. Thuc. VI, 53 et 60—61, Plut. Alcib. 21—2, aut si mavis ad ipsam Salaminiae proditionem referenda sunt, de

*) De Thesmophoriazusis altera, a prima certe diversa cfr. B. ap. M. II, 1074 seq. K. I, 472 seq., speciem aliquam habet Fritzschi sententia, qui commentatione sua de Arist. Thesmoph. secunda conscripta, non multum spatii inter Thesmophoriazusas priorem atque posteriorem interpositum fuisse, quoniam argumentum prius inceptum tantummodo deinceps continuetur, pronuntiavit Thesmoph. pag. 631. Sed Ol. 92, 3 Thesmophoriazusas secundam tribuendi argumentum idoneum desideratur; similiter de Muhlio iudicandum est, qui eam Ol. 92, 2 Dionys. magn. actam esse contendit.

qua Plutarchus solus initio cap. 22 hunce locum habet: Εὐθὺς μὲν οὖν ἀποπλέων ὁ Ἀλκιβιάδης (scil. a Sicilia exercituque Atheniensi nave Salaminia) ἀφείλετο Μεσσήνην Ἀθηναίους. Ἦσαν γὰρ οἱ μέλλοντες ἐνδιδόναι τὴν πόλιν, οὓς ἐκεῖνος εἰδὼς σαφέστατα τοῖς Συρακοσίων φίλοις ἐμήνυσε καὶ διέφθειρε τὴν πρᾶξιν. Salsissimum igitur et mordacissimum iocum invenimus, qui Demotyndareum post Alcibiadem a classe Atheniensi revocatum (a. 411 cfr. Thuc. VIII, 81—2) et ante novum eius exilium (a. 407) actam esse mihi indicare videtur. De fragm. 4 nihil affirmare audeo.

Plutum Aristophanis alteram ἐπὶ ἄρχοντος Ἀντιπάτρου i. e. Ol. 97, 4 (388) in scaenam prodiisse, e Pluti argumento IV discimus. Priorem autem ad Dioclis annum (Ol. 92, 4—408) pertinere, scholiasta ad Pluti servatae v. 173 (ἐν δευτέρῳ —, ὃς ἔσχατος ἐδιδάχθη ὑπ' αὐτοῦ εἰκοστῷ ἔτει ὕστερον) aperte nobis tradit, cfr. Bergk. comm. 402 et ap. M. II, 1130; K. I, 505, Muhl. pag. 58. — Hic de eiusdem Triphalete quoque afferre aliquid mihi liceat. Primum quidem fr. 8 M. II, 1165 (K. I, 531 fr. 549), quod de Theramenis tribus malis loquitur cfr. pag. 41, certe virorum quadringentorum dominatum spectat, quem post Ol. 92, 2 Dionysias magnas constitutum esse nunc constat. Deinde ad fragm. 9 M. II, 1165 (K. I, 531 fr. 550) accedamus, e quo omnes viros doctos Aristarchi hac in fabula partes fuisse uno ore collegisse satis miror. Nam etiamsi verba male interrupta vix unquam probe intellegantur, tamen id elucet, de Iberis, quos „olim Aristarchus duxerat" cfr. Thuc. VIII, 68 et Fritzsch. Ran. 232, sermonem esse: aliter enim τοὺς Ἴβηρας τοὺς Ἀριστάρχου πάλαι ego quidem interpretari nequeo. Itaque haud paulo post Oenoen ab Aristarcho mala fraude proditam i. e. annum 411 et post eius causam (cfr. supra pag. 40) Triphales acta est. Nunc etiam Suevernium de Nub. 62—5, de Senectute 44 fragmentum M. 13 (K. 554), ubi mea sententia cum Reiskio aliis Ἀριστοφάνης pro Ἀρίσταρχος scribendum est, huc non magna cum veri specie traxisse apparet; quamquam non omnino negaverim hac in fabula illud exhiberi potuisse, qua Alcibiadem *)

*) Hunc iam Epulonibus M. II, 1033 fr. 16 (K. I, 439, 198) Acharn. 716, Vesp. 44 seq. quamvis obiter Aristophanes taxavit.

in ridiculum flecti mihi veri simillimum videtur. Nam titulus huius fabulae quid sibi vult? Sub eo vir aliquis, illis temporibus perspicuus atque clarus, sine dubio delitescit. Et de Alcibiade quidem ipso, „omnium mulierum viro" *), haud inepte cum Suevernio cogitabis, ita ut propter πόλαι vocem hanc comoediam nonnulla cum probabilitate annis 408—7 assignaturi simus; fortasse Ol. 93, 1 ipsi, si quidem in fragmento 544 K. I pag. 530 (vid. M. V, pag. 148) „Alcibiades ab exilio rediens significatur cum Theodote meretrice, quam in expeditionibus bellicis secum ducebat" cfr. Athen. XII, 530 c, 534 d. Optime igitur fieri potuit, ut Aristophanes hoc dramate Cliniae filium, quem ut armorum seditionumque amantem poeta pacis maxime studiosus acerbissimo odio persequi debebat, ex Asia minore (vid. etiam M. II, 1163—4 fr. 2; K. I, 529, fr. 543) Athenas regredientem exceperit.

Platonis Sophistas post Ol. 92, 2 actam esse Cobetus pag. 186 ex Harpocratione loco quodam 28, 3 (M. II, 664 fr. 14), ubi Thucydidis VIII, 67 collato sine dubio ι' pro ν' recte Meinekius emendavit, apte conclusit; cui opinioni Xenoclis (cfr. Arist. Thesmoph. 169, 440; Ran. 86) Sporgili (Av. 300) et Dracontidis (Vesp. 157, vid. etiam Xen. Hell. II, 3, 2) commemoratio certe non adversatur. Eiusdem poetae Sceuas fragm. 1 causa (M. II, 659; K. I, 636 fr. 130) Cobetus pag. 51 Ol. 93, pag. 184 Ol. 93 exeunte exhibitam fuisse censet, postquam pristinus chororum splendor Agyrrhi lege de poetarum comicorum vel histrionum minuenda mercede lata est. Quam sententiam rectissimam quidem paucis verbis explicare atque fulcire mihi liceat. Atque primum anno 412 Athenienses mille talenta, quibus per totum bellum parcendum esse olim destinaverant, ad classem novam aedificandam parandamque consumere incepisse in memoriam nobis revocemus cfr. Thuc. VIII, 15. Haec pecuniarum inopia, quae ceteroquin Arist. Pluti I argumento lucem quoque affert, paulo post ut Agyrrhi rogatio

*) Cfr. Pherecr. ap. M. II, 342, 5 (K. I, 194, 155), vid. etiam Eupol. Adulat. M. II, 494, 18 (K. I, 300, 158), Plut. Alcib. 23 seq., Xen. Memor. I, 2, 24 al. loc.

probaretur effecit. Attamen hoc ante Ol. 92, 3 (410) vix fieri potuisse, tibi ipse facile persuadebis, quoniam Aristophanes neque in Lysistrata neque in Thesmophoriazusis ψήφισμα illud commemoravit; quod silentio certe non praeteriisset. Agyrrhi igitur legem temporibus subsequentibus assignabimus, ita ut Platonis sive Aristophanis Sceuae (nam de auctore olim dubitabatur cfr. Athenaei XIV, 628 d) Ol. 93, 2—3 productam esse suspicari debeamus, cfr. Arist. Ran. 367—8; nam de Ol. 93, 4 non cogitandum est, quo anno Athenienses obsessi in urbe ludos sine dubio non egerunt: hoc propter Muhlium pag. 102 moneo. Cobeti coniecturam personae etiam, quae apud Platonem inveniuntur, haud paulum commendant; de Morsimo (fr. 2 v. 1) cfr. Arist. Eq. 401 Pac. 803 Ran. 151, de Sthenelo (fr. 2 v. 2) vid. M. II, 639 et Vesp. 1313 cum scholiis, de Melanthio Pac. 804, 1009 Av. 151, de Agyrrhio vid. schol. Ran. 367 Eccles. 96, 184 Plut. 176. Idem valet in Sannyrionis Danaen cfr. Arist. Ran. 367 schol. Pherecratem quoque usque ad comoediae antiquae interitum vitam produxisse, fragm. inc. quoddam docere videtur ap. M. II, 290 (K. I, 200 fr. 185); cfr. praeterea Arist. Danaid. B. ap. M. II, 1052 fr. 12 (K. I, 456 fr. 253), quam fabulam iisdem fere finibus circumscribes, quibus Platonis Sceuas et Sannyrionis Danaen vid. Platon. Duebn. proleg. XIII col. 28 ἐπέλιπον οἱ χορηγοί et col. 32 seq., Arist. Ran. schol. 404 λιτῶς ἤδη ἐχορηγεῖτο τοῖς ποιηταῖς. Attamen — ut ad Pherecratem redeamus – cum poetam hunc ultra Euclidis annum vel Ol. 93 vixisse nulla vestigia exstent, illis annis ipsis diem supremum obiisse per se veri simillimum est. Itaque et reliqua eius comici dramata, scilicet Boni, Obliviosus sive Mare, Nugae, Inquilini, Formicihomines (M. II, 310 cfr. Fritzschi coniecturam Arist. Thesmoph. pag. 30; Bothi pag. 103 suspicio futilis est, aliquanto melius Kockius I, 178 huius fabulae argumentum explicare conatus est), Tyranni ante Euclidis annum certe in scaenam commissa sunt, quod de Coriannone e fragmento 5 M. II, 283 (K. I, 166, 79) constat. Idem valere videtur in Chironem comoediam Pseudopherecrateam, quam alii Nicomacho, alii Platoni dederunt cfr. M. I, 75 6; videas enim fr. 1

M. II, 326—27 (K. I, 188), ubi de Cinesia inspicias praecipue quaeso M. I, 227 seq., de Phryni M. II, 329—30. Aristophanis Lemnias Ol. 93 dare possumus propter sacrorum Bendidiorum commemorationem (cfr. M. II, 1100 fr. 7; K. I, 488, 365), quae ab Atheniensibus Ol. 92, 2—4 publice recepta esse cum Boekhio opusc. IV, 449 et Bergkio ap. M. II, 1097 e Platonis reipublicae loco quodam colligendum est. Eisdem temporibus Phoenissae acta esse videtur, qua certe Euripidis tragoediam illam celebratam (cfr. schol. Arist. Ran. 53) in ridiculum deflexerat Aristophanes, vid. K. I, 533 Cobet. 117 seq. Muhl. 58. — Strattidis Anthroporestem post Euripidis Orestem i. e. post Ol. 92, 4 in scaenam productam esse, e fragm. 1 M. II, 763 (K. 711) concluditur (cfr. Clint. fast. hell. pag. 85 et 87, Sannyrionis Danaen M. II, 874 fr. 1; K. I, 794, 6, Cobet. pag. 51 et supra pag. 44).

De Platonis Symmachia quod Bergkius comm. 261 et post eum aliquanto ingeniosius Cobetus 175 seq. olim coniecerunt, ad Hyperboli ostracismum ab Alcibiade Niciaque (Plut. Aristid. 7) sive Phaeace (Plut. Nic. 11, Alcib. 13 *), cfr. Pseudo-Andoc. IV) factionibus in unum coniunctis effectum eam referendam esse, fragm. 2 pretiosi quidem interpretatione minime probanda — ne dicam temeraria — nititur; ubi de puerorum ludo quodam tantum sermo est, de ostracismo nullo modo cogitandum (cfr. K. I, 641). Cobetus enim, ut unum saltem exemplum afferam, v. 5 φεύγειν ταχὺ τοὺς ἑτέρους verba ita percipi vult, ut alteri utri eorum scilicet principum foret exulandum. Muhlium, qui pag. 103—4 primum quidem Bergki

*) Viri docti corruptelam hic pag. 196 fin. exstantem hucusque ni fallor non animadverterunt; ubi λόγος τις κατ' Ἀλκιβιάδου καὶ Φαίακος aperte offendit. Nam verba haec et sequentia ad Pseudo-Andocidis orat. IV (vid. praecipue § 29) spectant, quam aliis Plutarchi locis (cfr. supra) comparatis ita scriptam esse fateberis, ut nemini nisi Phaeaci ipsi tribuere voluerit auctor, vid. § 2 ἐγὼ καὶ Ἀλκιβιάδης καὶ Νικίας, contend. etiam § 41 cum Thuc. V, 4. Itaque καὶ Φαίακος eiciendum; quod e glossemate quodam ad marginem adscripto natum esse videtur. Addidit enim lector aliquis λόγ. τ. κ. Ἀλκ. verba respiciens olim Φαίακος, quod postea scriba καὶ copula adiecta in enuntiati conexum recepit.

Cobeti sententiam amplectitur, deinde de Atheniensium et Argivorum societate quoque Ol. 90, 3—4 renovata illud fragmentum intellegi posse addit, multis refellere taedet. An tu hanc omnino comicam materiam esse censes? Equidem nego et meo iure opinor. Attamen quamquam e titulo nihil enucleabis, Symmachiam ante Euclidis annum actam fuisse mihi veri simillimum videtur, si quidem fr. 2 in comoediae parabasi locum suum habuit. Idem affirmare possumus de Platonis*) Puerulo vid. M. II, 647, fr. 1 (K. I, 626, 92) et Aristonymi, qui Aristophanis et Amipsiae aequalis fuit (cfr. anon. de Arist. vit. ed. Duebn. pag. 27) Sole frigente (M. II, 698 fragm. 1 et 2; K. I, 668). Utrum Calliae Cyclopum fragm. 2 M. II, 736 (K. I, 695 fr. 5) e parabasi petitum sit, dubius haereo. Quo tempore Theopompi Pax (M. II, 794, K. I, 735) et Stratiotides (M. II, 812, K. I, 747) in scaenam exhibitae sint, plane ignoro; quamquam et haec dramata ante Ol. 94, 2 producta esse videntur. Tamen ex Anyti commemoratione (M. II, 813 fr. 5, K. I, 748 fr. 57) nihil efficies neque Muhli de Stratiotidibus disputationem ullo modo non vituperabis. — Quod ad titulum attinet, Platonis Graecia aut Insulae quoque multo ante Euclidis annum acta videtur, cfr. Aristophanis sive Archippi Insulas, quae propter Panaetium M. II, 1111 fr. 6 (K. I, 494, 394), cfr. Arist. Av. 441 seq., Ol. 92 fere attribuetur. Ceterum miro errore Bergkius ap. M. II, 1111 Kockius adn. Av. 440 Muhlius pag. 47 Meinekio praeeunte eundem Panaetium hic irrideri crediderunt, quem ex Andocide I, 12, 13, 52, 67, C. I. A. I, 276 mysteriorum profanatorum accusatum et in exilium eiectum esse comperimus. Quam opinionem temerariam magis temere etiam Muhlius fulcire studet, qui Insulas Ol. 90 productam esse cum alias ob causas tum propterea contendit, quod Panaetius anni 415 aestate (calami lapsu 416 edidit) solum vertere debuisset et tantum viris, qui Athenis adessent, poetae comici illudere

*) Platonis Mystas eo tempore prodiisse, quo Alcibiades sacra Eleusinia bello interrupta restituerat, incertissima est Bergki coniectura comm. 375. Hoc tantum constare videtur, chorum e mystis compositum fuisse, quem eundem etiam Arist. Ran. 324—36 et 340—53 reperimus.

solerent. Quid? nonne in Avibus Aristophanes de Panaetio illo risum movit, quam fabulam Dionys. magn. anni 414 fuisse exhibitam didascaliae diserte tradunt? Ergo alium Panaetium simiam esse, alium mysteriorum profanationis accusatum pauloque post de patria exterminatum putare cogimur; quod nomen Athenis non inusitatum fuisse Arist. Eq. 243 docet, quem Panaetium ab illis supra tractatis esse diversum omnes viri docti quantum video consentiunt.

Ol. 93, 3 (a. 405) Aristophanis Ranae, Phrynichi, Musae et Platonis Cleophon in scaenam datae sunt cfr. Arist. Ran. argum. I finem.

C e p h i s o d o r u m (vid. Suid. s. v.) sub Euclide archonte ipso victoriam reportavisse e Lys. 21, 4 apparet, si quidem Clinton. fast. hell. 95 ibi recte pro Κηφισοδότῳ: Κηφισοδώρῳ reposuit cfr. M. I, 267, K. I, 800.

Circa Euclidis annum splendorem comoediae atticae antiquae totum obsolevisse schol. Ran. 404 (cfr. Platon. de com. I Duebn. proleg. XIII et XIV) demonstrat pretiosissimum hoce: — — ἐπὶ — τοῦ Καλλίου (τούτου) φησὶν Ἀριστοτέλης, ὅτι σύνδυο ἔδοξε χορηγεῖν τὰ Διονύσια τοῖς τραγῳδοῖς καὶ κωμῳδοῖς· ὥστε ἴσως ἦν τις καὶ περὶ τὸν Ληναικὸν ἀγῶνα συστολή, χρόνῳ δ᾽ ὕστερον οὐ πολλῷ τινι καὶ καθάπαξ περιεῖλε Κινησίας τὰς χορηγίας· ἐξ οὗ καὶ Στράττις ἐν τῷ εἰς αὐτὸν δράματι ἔφη·

σκηνὴ μὲν (ἔστιν ἥδε) τοῦ χοροκτόνου
Κινησίου — (cfr. M. V, 115).

Ubi σύνδυο ἔδοξε χορηγεῖν etc. locum adversus Clint. fast. hell. 84 alios ita interpretaberis, ut choregiae munus bini viri simul acceperint, ne singulis nimio oneri esset; nam tum Athenis non solum civitatis universae, sed privatorum hominum res olim divitiis exornatorum magnopere attritas esse inter omnes constat. Ceterum hic exemplum habemus, e quo Euclidis temporibus etiam tota fabula unum derisum fuisse eluceat. De Callia archonte eponymo Ol. 92, 1 illic vix cogitabis, quamvis τούτου illud Veneti altero loco ad v. 439 desideretur, itaque fortasse scribae alicuius addidamentum sit; nam tum multas exceptiones regulam habuisse illam sumi oportet cfr. Arist. Thesmophoriaz., Sophoclis Philoc-

tetem, Euripidis Orestem, Aristoph. Ranas. Strattidis Cinesias haud multo ante 400 in scaenam prodiisse videtur, cum Laespodias (cfr. schol. Av. 1569) Athenis aderat*); idem valeat in Theopompi Pueros (vid. ibidem: διὸ καὶ κατὰ σκελῶν ἐφόρει τὸ ἱμάτιον, ὡς Θεόπομπος ἐν Παισί).

*) Hic ἔχει non εἶχε, quod Suidas habet, genuinam Didymi scripturam esse, facile ex Avium scholio cum Suida s. v. Λαισποδίας comparato colliges; compilator enim iste suo more commentatoris verba male conflavit. Tamen haec scriptura minoris momenti est, cum Strattidis itemque Theopompi non ipsos versus, sed argumenta eorum tradi appareat.

Comoediarum tractatarum index.

pag.

Amipsias 31
Archippus, Rhino 35
Aristonymus, Sol frigens 46
Aristophanes, Anagyrus 28
Heroes 18
Horae 33
Insulae 46
Lemniae 45
Lysistrata 40
Phoenissae 45
Plutus . . . 42. 43
Tagenistae 16
Thesmophoriazusae 40
Triphales 42
Callias. Pedetae 32
Cyclopes 46
Cephisodorus 47
Crates, Bestiae. 16
Cratinus, Chirones 17
Pluti 16
Eupolis . . . . 40 adn.
Autolycus 39
Baptae 27
Civitates 6
Imbelles 37
Maricas . . . . . 10 adn. 2
Pagi 22
Prospaltii 19
Hermippus, Cercopes 34
Lysippus, Bacchae 32
Metagenes, Homerus sive Ascetae 11
Philothytes 32

pag.

Pherecrates 44
Chiro 44
Fugitivi 13
Furnus vel Pannychis 33
Metallenses 15
Petale 33
Servimagister 21
Philyllius, Plyntriae 37
Phrynichus, Comissatores . . . 35
Connus 37
Cronus 37
Plato, Feriae 17
Graecia aut Insulae . . . 46
Hyperbolus 21
Puerulus 46
Querulus 8
Satyri 31
Sceuae 43
Sophistae 43
Symmachia 45
Victoriae 17
Polyzelus, Demotyndareus . . . 41
Sannyrio, Danae 44
Strattis, Anthroporestes 45
Cinesias 47
Teleclides, Amphictyones 16
Hesiodi 16
Theopompus, Cauponae 34
Pax 46
Pueri. 48
Stratiotides 46
Tisamenus 32

Auctoris vita.

Natus sum Ernestus Brandes a. D. VI. Cal. Mai. MDCCCLXI patre Christiano, matre Aemilia e Deglowiorum gente Wentowi, qui fundus olim paternus apud Granseam oppidulum in ea scilicet provinciae Brandenburgiensis parte situs est, quae ad Mecklenburgiensium terram proxime accedit. Fidem profiteor evangelicam. Primis literis Berolini sum imbutus, quo parentes paulo post fratrem me uno anno minorem natum se contulerunt. Ibi nunc ante decem annos matrem penitus dilectam morte nimis matura diem supremum obiisse, adhuc lugeo. Pater mox Lucaviam urbem emigravit; ipse Kiliae anni MDCCCLXXXI auctumno maturitatis testimonium adeptus Berolinum redii, ut Curtio Roberto ducibus imprimis studiis archaeologicis incumberem, praeterea Brugschi, Müllenhoffi, de Treitschki, Pfleideri, Mesmeri scholis interfui. Post bis sex menses Grypiswaldae civibus adscribendum me curavi, ubi cum de Wilamowitz-Moellendorffium, Kiesslingium, Voigtium, Bredencampium alios audivi, tum Zimmerus linguae sanscriticae elementa praeclare me docuit. Uno anno peracto, alma mater Rostochiensis me studiis philologicis severis quae dicuntur enixe operam daturum benigne excepit iamque in hiemis primae initio Leo seminari philologici sodalem ordinarium me quamvis indignum creavit, cui viro claro atque praeceptori dilectissimo quantum debeam nunquam obliviscar. Bechsteinius, qua est animi benignitate summa, iisdem temporibus seminari germanici socium me fecit, cui item grates gratiasque agere maximas hoc loco mihi liceat; neque Koertium, Schirrmacherum, de Steinium bene de me meritos esse unquam negabo. — Anni antecedentis mense Decembre examen pro facultate docendi absolvi, a. d. IV. Non. Febr. summos in philosophia honores cum laude capessivi.